Gall

DISSERTATIO

DE

ARGUMENTIS HISTORICIS,

QUIBUS RECENTER

EPISTOLARUM PASTORALIUM ORIGO PAULINA

IMPUGNATA EST,

CONSCRIPTA

A

TH. RUDOW,
STUD. THEOL.

Phil. III, 12. *Οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον, διώκω δὲ, εἰ καὶ καταλάβω.*

Commentatio in certamine literario civium Academiae Georgiae Augustae die IV. Junii MDCCCL ex sententia gratiosi Ill. Theologorum ordinis praemio regio ornata.

GOTTINGAE,
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
MDCCCLII.

Die theologische Facultät hatte die Aufgabe gestellt: Exponantur et dijudicentur argumenta, quibus recenter epistolarum ad Timotheum et Titum datarum origo paulina impugnata est, historica, maxime ex iis, quae in his epistolis de constitutione ecclesiae institutisque ecclesiasticis commemorantur, petita.

Urtheil der Facultät.

Der Verfasser hat die Tendenz und die Gränzen der Aufgabe richtig aufgefasst, und die Hauptmomente, worauf es dabei ankam, sich klar gemacht. Die gegen die Aechtheit der Pastoralbriefe neuerdings erhobenen Zweifelsgründe sind aus den Hauptschriften, worin sie aufgestellt sind, mit Unparteilichkeit und Genauigkeit, und im Wesentlichen richtig dargestellt, die Hauptdata zur Beurtheilung derselben aus den Quellen geschöpft, und mit Scharfsinn für den Zweck benutzt. Es ist dem Verfasser gelungen, des sehr reichhaltigen und schwierigen Stoffs Herr zu werden, das Einzelne unter allgemeine Gesichtspunkte zu bringen und zu ordnen, und seine Ansicht von den verschiedenen streitigen Fragen lichtvoll darzustellen. Die Beurtheilung der aufgeworfenen Zweifel enthält, wenn auch nicht eben neue und originelle, doch viele treffende Urtheile und scharfsinnige Bemerkungen, wodurch manche Behauptungen, von der positiven wie von der negativen Seite, auf das richtige Maass und den wahren Gehalt zurückgeführt werden. Die Arbeit überhaupt zeugt von wissenschaftlichem Geiste, von Selbstständigkeit und Reife des Urtheils, und setzt Uebung in solchen Arbeiten voraus. Der lateinische Stil ist klar und präcis, und hat eine gewisse Rundung und Eleganz. Dagegen vermisst man bei mehreren, auch wichtigen Fragen eine vielseitigere Beleuchtung der Sachen, namentlich eine solidere Begründung der eigenen positiven Behauptungen; wovon der Grund vorzüglich in der geringen Benutzung der neueren exegetischen und kirchenhistorischen Schriften, welche in den Gegenstand einschlagen, zu liegen scheint. Wenn gleich der Verfasser sich vielleicht grundsätzlich sein Urtheil allein aus den Hauptquellen hat bilden wollen, und allerdings eine zu ängstliche Berücksichtigung der verschiedenen Meinungen leicht die Unbefangenheit des Urtheils trübt: so forderte doch der so schwierige, aus verschiedenen Gesichtspuncten zu betrachtende Gegenstand zur genauen Vergleichung der neuesten Discussionen über die wichtigeren Puncte auf, um dadurch das eigene Urtheil zu berichtigen und zu befestigen. Der Verfasser würde sich dadurch vor manchen unrichtigen, wenigstens zu leicht hingeworfenen Behauptungen bewahrt und seiner Arbeit eine festere wissenschaftliche Haltung gegeben haben.

Die Abhandlung hat im Ganzen ihrem Verfasser die lobende Anerkennung des Talents sowohl wie des Fleisses von Seiten der Facultät erworben. Sie zeichnet sich aus durch die Reife und Schärfe des Urtheils, die Beherrschung des Stoffs, die Gewandtheit der Darstellung, die stilistisch-philologische Bildung. Dem gemäss hat die Facultät einstimmig beschlossen, ihr den Preis zuzuerkennen. Nur wird dabei dem Verfasser zur Pflicht gemacht, vor dem Drucke dieselbe noch einmal durchzuarbeiten, um die erwähnten Mängel möglichst zu beseitigen.

VIRIS DOCTISSIMIS, HONORATISSIMIS

FRIDERICO LUECKE

DOCTORI THEOLOGIAE,
ABBATI BURSFELDENSI, A CONSILIIS ECCLESIASTICIS REGIIS,
PROFESSORI ORDINARIO PUBLICO GOTTINGENSI

ET

HENRICO AUGUSTO GUILIELMO MEYER

DOCTORI THEOLOGIAE,
A CONSILIIS ECCLESIASTICIS REGIIS HANNOVERANIS,

QUORUM DICTIS SCRIPTISQUE SE PLURIMUM IN LITERIS PROFECISSE
MEMORIA TENET ET SEMPER TENEBIT,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SIGNUM TESTIMONIUMQUE GRATISSIMI ANIMI ET SUMMAE REVERENTIAE

DEDICAT

AUTOR

ARGUMENTUM.

PRAEFATIO.

Non sine magno aliquo timore aggredior opus commentationis de epistolis, quae dicuntur pastorales, conscribendae, in quibus tot viri praeclari acumen ingenii et eruditionem tantopere exercitaverint, et jure metuo, ne viribus impar labori quem susceperim succumbam atque frustra laborasse videar; sed consolatur et erigit animum virorum, qui de meo tironis opusculo judicium ferent, humanitas benignitasque, qua quamvis sit imperfectum non statim vituperio obruant atque prorsus rejiciant. Neque hoc efficere posse mihi videor, ut hanc litem tamdiu a viris doctissimis agitatam plane ad finem perducam; hoc majori alicui et peritiori libenter relinquam; ego satis superque habebo, si illum quantulumcunque est meo opusculo adjuverim, et si hoc modo particulam quandam ad eruendam firmandamque veritatem contulerim, consilio plane satisfecisse mihi videbor. Quod ut assequar Deus optimus maximus mihi opituletur. Haec scribebam, quum hanc commentationem Ordini Theologorum Gottingensi dijudicandam traditurus essem, qui spem, quam in eorum humanitate posueram, expleverunt et quod semper gratissimo animo tenebo dignum praemio opusculum meum quantumvis imperfectum habuerunt, simul tamen mihi reddiderunt, ut antequam typis excuderetur, maculas, quas illi deprehenderunt, pro viribus eluerem. Quod quum fecerim, nescio quo meliore voto praefationem finiam ceterisque opusculum tradam, quam quod supra effatus sum, ut leniter de eo judicetur et ad veritatem investigandam aliquantulum contribuat.

Epistolas ad Timotheum et Titum datas, quas Pauli nomine inscriptas in N. T. habemus, inde a primis ecclesiae christianae temporibus semper pro vere paulinis esse habitas, inter omnes constat. Quamvis enim apud patres apostolicos nullo loco epistolarum pastoralium mentionem disertis verbis factam inveniamus, sed tantum incertas dubiasque allusiones, ut in Clem. Rom. epist. ad Corinth. I, 2, 29. et Ignat. epist. ad Ephes. cap. II, et Polycarpi cap. IV, tamen Irenaeus (adv. haer. pro-

oem), Theophilus (ad Autolycum III, 14), Tertullianus (de praescript. haeret. 25.), Clem. Alexand. (Strom. II, 383), denique Origenes (Comm. in Matth. XXXV.) constanter illas ut vere paulinas asserunt, ideoque Eusebius in loco celeberrimo de canone N. T. (Hist. eccl. III, 25.) inter scripta ὁμολογούμενα, et quidem Pauli epistolas eas refert. Quae quidem constans ecclesiae catholicae persuasio et traditio non concussa et labefactata est sententiis Marcionis, Tatiani et aliorum Gnosticorum, qui ex rationibus nobis non jam cognitis epistolas illas rejecerunt; si igitur antiquam ecclesiae traditionem spectaveris, eadem fide qua alia N. T. scripta dignae sunt, et valde errasse mihi videtur Credner, qui in introductione in N. T. I, 449. suspicionem in epistolas pastorales movet, quia a patribus apostolicis non commemoratae et ab haereticis impugnatae sint. Eadem auctoritate epistolae ad novissima usque tempora perfruebantur, nec cuiquam in mentem venit de paulina earum origine dubitare, donec tandem Schleiermacher exstitit et prioris ad Timotheum epistolae Paulum esse scriptorem maxime in dubium vocavit (De priore Pauli ad Timotheum epistola literae criticae Berolini 1807.), his maxime motus rationibus, primum quod epistola multa vocabula Paulo alias inusitata legenti praeberet, tum quod multi loci aperte ex posteriore ad Timotheum et ad Titum epistolis compilati essent, deinde quod epistola nullum locum in Pauli vita haberet, denique quod indigna Paulo esset, promiscue et incomposite scripta, sine recto sententiarum ordine et sine fine perspicuo. Quae rationes viri illius, ingenti quo praeditus erat mentis acumine expositae, haud paucos perpulerunt, ut illi assentirentur, sed longe plures, ut refutare illum et paulinam epistolae originem defendere studerent, ita ut Schleiermacher auctor litis de epistolarum pastoralium origine jure nominaretur. Nam qui eum secuti sunt, non solum priori ad Timotheum sed etiam posteriori et ad Titum epistolae paulinam originem abjudicarunt, quod fecerunt Eichhorn in introductione critica in N. T. III, 315—410 Lipsiae 1812 et de Wette in introductione historico-critica in N. T. 269-282 Basileae 1826, alter quia hae epistolae plane diversum loquendi usum ac ceterae Pauli epistolae nobis praeberent et nullo modo in Pauli vitam alias nobis notam inseri possent, alter quia epistolae praeter haec argumenta etiam multa alia commemorarent, quae Paulo eas attribuere nos vetarent, v. c. doctores falsos, instituta ecclesiastica diaconissarum, episcoporum, quae omnia indubia certaque serioris temporis signa prae se ferrent. Quibus contradixit Schott in isagoge historico-critica in libros Novi Foederis sacros Jenae 1830 pag. 285—328, qui epistolas ab omnibus, quae ingenio et aevo paulino aliena essent, immunes esse contendit, nihilominus tamen quum nonnulla

continerent, quae Pauli cogitandi et dicendi generis non essent propria, non illi ipsi, sed discipulo alicui adscripsit eum in modum, ut Paulus res quae scribendae essent discipulo mandasset, hic vero illas in epistolae formam redegisset. Qua sententia plane reprobata Baur in libro suo: Epistolae quae dicuntur pastorales denuo critice exploratae. Tübingae 1835 omnes tres epistolas Romae ad componendam discordiam, quae inter Marcionitas et Judaeochristianos exorta esset, medio fere secundo saeculo a sectatore quodam Pauli conscriptas et editas esse contendit, hancque sententiam etiam in libro: Paulus apostolus. Tübingae 1845. proposuit atque certam constitutamque affirmavit. Credner denique et Neudecker in introductionibus in N. T. Halae 1836 et Lipsiae 1840. utramque ad Timotheum epistolam reprobarunt, ad Titum autem epistolam exceptis I, 1—4 ut genuinam defenderunt, ad quam sententiam tuendam Credner monstrare studuit, epistolam ad Titum editam esse addito exordio, epistolam ad Timotheum posteriorem ex duabus Pauli epistolis, quibus Timotheum Romam vocasset esse compositam et multis additamentis auctam, ex hisce duabus epistolis denique priorem ad Timotheum compilatam esse. Neudecker huic quidem hypothesi non consentitur, sed eandem quam Credner tuetur sententiam, epistolam scilicet ad Titum esse genuinam, utramque vero ad Timotheum esse suppositam; in rationibus, quibus sententiam confirmant, ambo Schleiermachero maximam partem assentiunt. Omnes qui epistolarum defensores exstitere enumerare vix opus esse puto, itaque ex magno eorum numero Planck (1808), Böhl (1829), Matthies (1830), Baumgarten (1837), Neander (1840), Schrader in libro Paulus apostolus inscripto (1830), Wurm, Hug et Bertholdt in introductionibus in N. T. denique Wieseler, qui in chronologia aevi apostolici (1848) magno acumine causam epistolarum agit, hoc loco nominandi sunt. Nuper accessit Meyer in commentario de his epistolis ab Huthero edito 1850.

De horum virorum et adversariorum et defensorum sententiis disserere quum mihi propositum sit, eum in modum proposito quam maxime satisfacere mihi videor, quum in duo capita commentationem dispesco, quorum primum duas partes complectetur. Prima longe maxima argumenta chronologica enarrabit, secunda ad haec firmanda adversariorum epistolarum originis explicandae conamina recensebit. Secundum vero caput de argumentis, quae ex constitutione institutisque ecclesiae petita sint, aget. Priusquam autem ipsa argumenta recenseam, commodum esse arbitror, si initio cujusque capitis de Pauli vita et de ecclesia apostolica aliqua praemittuntur; quibus expositis ad rem ipsam jam transeo.

CAPITIS PRIMI PARS PRIMA.

DE ARGUMENTIS CHRONOLOGICIS.

§. 1. De Pauli vita.

Alienum sane esset a nostri opusculi fine et consilio, si totam vitam Pauli, insignis quondam hostis, tum autem insignis praedicatoris evangelii, hic enarraremus; quapropter ab eo demum tempore res ejus gestas describemus, quo secundo itinere Antiochia ad omnes populos religione christiana imbuendos profectus per Asiam minorem Macedoniam et Graeciam intravit. Nam ante hoc tempus epistolae pastorales scribi omnino non potuerunt et nemo fere ante illud tempus eas scriptas esse putavit.

Paulus igitur et Silas, ut Lucas Act. XVI—XVIII. nobis narrat Antiochia simul profecti, per Syriam et Ciliciam itinere facto ibique Christianis in fide confirmatis, Derben pervenerunt, ubi Paulus Timotheum juvenem et judaicae ad fidem christianam conversae feminae filium comitem sociumque sibi assumpsit. Phrygiam deinde et Galatiam Mysiamque peragrantes Troadem delati sunt, unde Pauli somnio commoti Macedoniam navigio petierunt et Philippos caput Macedoniae venerunt. Ibi sicut Thessalonicae et Beroeae evangelii praedicati causa a Judaeis expelluntur et Sila Timotheoque Beroeae relictis Paulus Athenas indeque Corinthum profectus est, ubi tempore aliquo praeterlapso comites ei iterum conjuncti sunt. Corinthi Paulus annum et sex menses continuos mansit et docuit, initio quidem solum Judaeos sed ab illis rejectus Graecos, quorum plurimos veritatis christianae convictos in ecclesiam collegit, a Judaeorum insidiis et accusatione per Gallionem Achajae praefectum liberatus. Tum Paulus cum comitibus Corintho relicta Ephesum venit, ubi incolae in evangelium praedicatum plane propensi eum rogarunt, ut mox reverteretur, quod pollicitus Paulus Hierosolymis visis Antiochiam venit, ubi aliquamdiu moratus est. Inter comites Pauli ab eo Ephesi relictos fuit etiam Aquila Judaeus cum uxore Priscilla a Claudio impe-

ratore Roma pulsus, qui insequente tempore Apollinem Judaeum alexandrinum, notitia V. T. plane imbutum, sed evangelii de Christo adhuc ignarum convenerunt et de Christi messiae adventu certiorem factum ecclesiae adjunxerunt. Apollo mox Corinthum profectus, priusquam Paulus Ephesum reverteretur, postea etiam cum Paulo amicitiam junxit.

Paulus interea, ut quod promisit impleret, Antiochia iterum discedens peragratisque Galatia Bithynia et Mysia (has enim regiones Lucas verbis τὰ μέρη ἀνωτερικά Act. XIX, 2 denotare videtur) Ephesum pervenit et primum duodecim Joannis baptistae discipulos ad Christum convertit, deinde more consueto tres menses in synagoga Judaeos docuit, qui quum pertinaciter ipsum respuissent, ad Graecos se contulit et in schola Tyranni cujusdam duos annos de fide christiana disseruit, ut magnam multitudinem discipulorum sibi compararet, a Deo egregie adjutus miraculis, quae in sanandis aegrotis effecit. Priusquam autem Pauli vitam describere pergatur, mentio de itinere facienda est, quod Lucas quidem silentio praetermisit, Paulus ipse autem in II. Cor. luculenter testatus est. Ibi enim cap XII, 14 et XIII, 1 aperte dicit (ἰδοὺ τρίτον ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς et τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς) se trinis vicibus Corinthum ire; altera ad Corinthios epistola quum sine dubio scripta sit, dum Paulus Epheso per Macedoniam Corinthum petit (Act. XX, 1), necessario sequitur, Paulum aliquando Epheso tunc digressum Corinthum invisisse, quod Lucas, quia brevius iter fuit, omisit. Aliud quod Paulus hoc itinere fecit postea commemorabo ubi simul, quae de Wette §. 132[a] introductionis in N. T. contra hanc sententiam protulit argumenta refutare conabor. Peractis duobus annis et aliquot mensibus Paulus per Macedoniam et Achajam Hierosolyma indeque Romam proficiscendi cepit consilium et duos comites Timotheum et Erastum in Macedoniam praemisit ipse aliquamdiu Ephesi commoratus. Multitudine Christianorum Pauli opera indies increscente cultus deorum et maxime Dianae ephesiae evanuit, quare Demetrius statuarum Dianae argentearum artifex lucri jacturam fecit et invidia incensus stimulavit popularium animos et magnum tumultum contra Paulum excitavit, quo tandem sedato, non quidem coactus, sed tamen commotus tumultu valedixit Paulus discipulis et in Macedoniam circa festum pentecostes a. LVII. abiit. Ecclesiis Macedoniae confirmatis hiemem verisimiliter Nicopoli transegit, quum Rom. XV, 19, quae epistola paulo ante iter ultimum Hierosolymitanum scripta est, se usque ad Illyricum evangelium praedicasse diceret, deinde tres menses Corinthi et in Achaja consumpsit et circa festum paschale a. LVIII. Philippis Hierosolyma profectus est. Comitantibus Sopatro Beroeaeo, Aristarcho et Secundo, Thessaloni-

censibus, Gajo et Timotheo Derbaeis, Tychico et Trophimo Asiaticis atque Luca primum Troadem venit deinde per Assum Mytilenem, Chium et Samum profectus Miletum attigit, quo presbyteros ecclesiae ephesiae vocatos gravissime commonuit, ut firmiter in fide ipsis tradita perstarent et a se et ab ecclesia falsos doctores, qui mox venturi essent, diligenter arcerent, denique per Rhodum et Pataram Cypro ad sinistram relicta Tyrum pervectus est, unde quamvis saepe praemonitus, ne Hierosolyma iret, Caesaream et Hierosolyma circa festum pentecostes pervenit. Comiter a fratribus acceptus mox in templo seditione Judaeorum exorta, qui Paulum ut legis mosaicae hostem exosi, occidere studuerunt, eorum manibus per milites romanos vix ereptus coram populo et synedrio frustra oratione se defendit et mox propter Judaeorum insidias Caesaream ad Felicem procuratorem deductus est. Etiam coram illo ab omnibus accusatorum opprobriis se purgavit, tamen per duos annos custodia detentus coram Festo Felicis successore ad Caesarem provocavit et simul cum aliis ineunte hieme a. LX. Romam missus est. Primum navigio adramytteno Asiae oras praetervectus, Myram Lyciae urbem venit, unde navi alexandrina Italiam petiit, sed propter ventum adversum primum ad Cretam haud procul ab urbe Lasaea appulit denique post longam et periculosam navigationem apud insulam Melitam naufragium perpessus et vix servatus est ibique hieme transacta, vere ineunte a. LXI. Romam venit, ubi per duos annos satis liberali usus custodia evangelium docuit, sed postea fortasse Poppaeae Judaeorum fautricis impulsu, aut paulo ante Christianorum persecutionem a Nerone excitatam, aut in hac ipsa capitis damnatus et supplicio affectus est a. p. Chr. LIV. Qua quum sententia permultis viris doctissimis qui alteram Romae captivitatem Paulum subiisse arbitrantur, contradixerim, meam sententiam, quam brevissime potero, argumentis tuebor *).

§. 2. De altera quae dicitur captivitate Pauli romana.

In quaestione, ad quam sum jam aditurus, tria ut mihi videtur argumentorum genera sunt distinguenda, quorum primum testimonia scriptorum veterum complectitur, secundum argumenta ex interpretatione locorum N. T. maxime epist. II ad Tim. petita, tertium denique argumenta probabilitatis continet. Quum haec quaestio magni momenti in tota commentatione mihi sit, excusatum me fore spero, si uberius rem tractaverim.

---

*) In computando tempore, quo singula quae commemoravi facta sunt, plane secutus sum Wieselerum vid. Chronologie des apostol. Zeitalters pag. 21 — 128.

1. Testimoniorum longe gravissimum est locus in Clem. Rom. ep. ad Corinthios cap. 5: Διὰ ζῆλον ὁ Παῦλος ὑπομονῆς βραβεῖον [ἐπεσχ]εν, ἑπτάκις δεσμὰ φορήσας [φυγα]δευθεὶς, λιθασθεὶς, κῆρυξ [γενό]μενος ἔν τε τῇ ἀνατολῇ καὶ ἐν τῇ δύσει τὸν γενναῖον τῆς πίστεως αὐτοῦ κλέος ἔλαβεν· δικαιοσύνην διδάξας ὅλον τὸν κόσμον [καὶ ἐπὶ] τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου καὶ εἰς τὸν ἅγιον τόπον ἐπορεύθη, ὑπομονῆς μέγιστος ὑπογραμμός. Priusquam ad locum disquirendum progrediar, notandum mihi est, omnia uncinis inclusa non legi in codice alexandrino, in quo uno epistola illa Clementis nobis servata est, sed esse conjecturas Junii, qui primus epistolam diu perditam restituit et edidit Oxonii 1633. Si locum ipsum spectamus, Clemens, haud dubie Pauli aequalis et Phil. IV, 3 commemoratus, narrat, Paulum propter animi fervorem multos tulisse labores et quum orientis et occidentis populos docuisset atque ad finem usque occidentis venisset (retenta Junii conjectura καὶ ἐπὶ τὸ τέρμα) coram principibus de Christo testatum supplicio affectum esse. Multi viri doctissimi, qui τὸ τέρμα τῆς δύσεως nil aliud quam Hispaniam esse contenderent, ad quam sententiam tuendam etiam Rom. XV, 24. seq. allegabant, ubi Paulus Hispaniam adeundi consilium declarat, et qui praeterea verbis ἐπὶ τῶν ἡγουμένων indicatum esse putarent, eo tempore mortem obiisse Paulum, quo Nerone in Graecia versante Tigellinus et Nymphidius imperio praeessent, (anno LXVII. p. C.) aperte et clarissime ex nostro loco sequi dixerunt, Paulum prima captivitate solutum Hispaniam adiisse iterumque captum et Nerone Roma absente ab illis imperio praefectis supplicio affectum esse. Sed multa huic sententiae obstant. Primum enim quod jam in afferendo textu notavi, verba quae cardinem argumenti continent, non integra in codice reperiuntur, sed conjectura suppleta sunt, ut dubium certe sit, utrum ἐπι, an ὑπὸ quod Wieseler vult, an alia legenda sit praepositio v. c. ὡς; ergo nostro loco haudquaquam certum et constitutum est, Clementem dicere Paulum usque ad ultimum occidentis finem pervenisse, sed quum incerta sit lectio, dicere etiam potest, Paulum coram Caesare summo occidentis judice rem suam egisse, ut Wieseler interpretatur, aut si praepositio ὡς praeferatur, Paulum in ultimas prope occidentis terras progressum esse. Diffiteri non possum sententiam, quam ultimam attulerim, ad naturam totius loci, praesertim si colorem ejus magnopere oratorium respicias, mihi videri aptissimam et conjecturae Wieselerianae repugnare et inusitatam, quam verbo τέρμα tribuerit significationem quum tantum in dictione τέρμα ἔχειν illam vim habeat τέρμα et nexum sententiarum qui, proxime antecedentibus ἐν δύσει et

ὅλον τὸν κόσμον, etiam in τέρμα τῆς δύσεως localem notionem postulare videtur; usus vero vocis ὡς ut praepositionis rarus quidem sed tamen non inauditus est, de qua re vid. Steph. Thes. l. gr. Londini 1826 sub illa voce, ubi exempla talis usus ex Xenophonte et Arriano citantur. Attamen hoc non tantopere curo, sed id maxime urgeo in loco nostro non certum exstare testimonium apostolum captivitate liberatum in Hispaniam profectum esse, ut ex eo altera captivitas necessario concludatur. Verba igitur secundum meam lectionem ὡς τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθών eum in modum interpretor, ut Clemens, qui ad Corinthios orientales scripsit, dicat, Paulum non solum peragrasse orientalem, sed etiam occidentalem imperii partem attigisse et paene ad finem ejus pervenisse; quum autem hoc loco magnifice de Pauli laboribus loquatur et in talibus locis magis restringenda quam augenda sit vis sententiarum, si verum attingere volumus, τὸ τέρμα τῆς δύσεως non ad Hispaniam sed ad Romam referendum esse puto. Sed neque ex alio, quod alterius captivitatis defensores afferunt, argumento, ex tempore scilicet verbis ἐπὶ τῶν ἡγουμένων significato, alteram captivitatem effici debere jam demonstrabo. Haec enim verba minime ad viros illos, qui Nerone absente summam imperii potestatem tenuerunt pertinere possunt, quum Tigellinus certe eo tempore, quo Paulus secundum illam sententiam Romae mortem obiisse dicitur, Neronem in Graeciam secutus esset, at non Romae versaretur (vid. Dio Cass. 63, 12), sed habenda sunt pro interpretatione latinae vocis principes civitatis, qui consilio Caesaris in litibus dijudicandis intererant. (cf. Suet. Tiber. 55, Nero 15; Tacit. Annal. XIV, 62.) Quo modo si verba explicaveris, omnes difficultates, quae ex nominibus τῶν ἡγουμένων exortae et revera exoriundae erant, plane amotae sunt, quia principes illi civitatis satis noti fuerunt, ut accuratius definiendi non essent. Hoc igitur demonstrasse mihi videor, ex loco illo Clementis, epistolae, qui si luculenter alteram Pauli captivitatem testaretur, et me ut eam agnoscerem cogeret, alteram illam captivitatem non sequi. Praetermissis aliis, qui secundo loco testes illius rei excitantur, ut Dionysio Corinthiorum episcopo (Euseb. H. E. II, 25), ad secundum argumentorum genus transeo.

2. Hic maximus testis est Eusebius, qui H. E. II, 22 affirmat, posteriorem ad Timotheum epistolam non in illa, quam Lucas in fine Actorum enarrat, captivitate scriptam esse, sed in altera, in quam Paulus postquam rursus evangelio praedicando operam dedit, incidit et supplicio affectus finivit; quam sententiam verbis II. Tim. IV, 17 καὶ ἐῤῥύσθην ἐκ στόματος λέοντος probare posse sibi visus est. In qua Eusebii relatione primum notandum est, illum non produxisse testes, apud

quos suam sententiam reperisset, ut ubique facere assolet, sed tantum formula λόγος ἔχει contendisse, eo tempore fuisse hanc opinionem satis vulgarem. Ex qua re apparere mihi videtur, in loco Clem. quem supra tractavi, ab initio non ἐπὶ lectum aut certe τὸ τέρμα τῆς δύσεως non ad Hispaniam relatum esse; nam si Eusebius locum epistolae tum notissimae et laudatissimae sic legisset et intellexisset, hoc testimonium gravissimum sententiae suae profecto non neglexisset. Deinde autem in illam sententiam adductus est partim interpretatione falsa nostrisque temporibus ubique rejecta verborum ἐῤῥύσθην ἐκ στόματος λέοντος, quae quum ad Neronem referret, putavit, apostolum jam semel saevo et cruento Neronis judicio evasisse, verba autem recte explicata nihil aliud dicunt, quam apostolum magnum vitae periculum effugisse, partim perversa temporis computandi ratione, qua quum poneret, Paulum jam a. LIV. a Felice in vincula conjectum et ne duodecim annorum captivitatem agnoscere cogeretur, liberatum in secunda demum captivitate vita privatum esse maluit hancque sententiam falsae interpretationi loci II. Tim. IV, 17 et vulgari aequalium opinioni superstruxit. De aliis, quae ex II. Tim. pro altera captivitate proferuntur argumentis postea disserendum erit, quanquam, quod hic statim praesumam, nec illis adduci possum, ut alteram captivitatem Paulo evenisse concedam.

3. Argumenta ex probabilitate desumpta prope omnia contra alteram captivitatem pugnant. a) Si apostolus revera in Hispania evangelium praedicavit, difficile est explicatu, cur ne vestigia quidem hujus rei postea inveniamus, praesertim quum ecclesiae subsequente tempore apostolicam originem maximi fecerint. b) Si apostolus revera ex Hispania reversus iterum in vincula conjectus II. Tim. scripsit, mirandum sane est, quod ne verbo quidem memorat, quae ipsi contigerint nequicquam Timotheo amicissimo de his rebus scribit. c) Vix credibile est, quomodo apostolo Romae rursus captivo, attamen ut in prima captivitate iterum libera tantum custodia detento, iterum coram Caesare causam suam agere licuerit, quum ille et totus populus romanus maxime in Christianos exacerbati fuerint, et quomodo Paulo tempus relictum sit ad scribendam Timotheo epistolam, quin immo spes, fore ut ad hiemem usque vitam producat et Timotheum, quem ad se vocaverit, videre et ei valedicere possit, denique quomodo altera captivitas, rebus tantopere mutatis, primae tam prorsus aequalis similisque fieri potuerit.

Paucis verbis nunc repeto, quae ex antecedentibus sequi mihi videntur, alteram Pauli captivitatem nullo modo satis firmatam esse, nec testimoniis veterum, nec aliis argumentis; itaque omnes illorum virorum sententiam rejicio, qui post romanam Pauli captivitatem epistolas

2

scriptas esse contenderunt, sicut et illas, quas ante iter secundum epistolas scriptas esse posuerunt, in enarranda Pauli vita reprobavi. Tempore quo epistolae scribi potuerunt hoc modo circumscripto, de unaquaque epistolarum disseram.

§. 3. De tempore, quo prior ad Timotheum epistola scripta sit.

Epistolae temporis, quo scripta sit, constituendi signa haec insunt. Paulus Epheso in Macedoniam profectus Timotheum reliquit, ut falsos doctores coerceret et ecclesiae bene praeesset (I, 3), in hunc finem ei multa praecepta de regenda et ordinanda ecclesia dedit, mox se reversurum sperat, (III, 14) et Timotheum propter juventutem non spernendum esse dicit (IV, 12). Liber igitur Paulus et Timotheus juvenis esse, porro Ephesi ecclesia constituta Paulus hinc digressus Macedoniam petere debuit; ex quibus omnibus, quum uno eodemque tempore evenisse putanda sint, sequitur, epistolam non ante nec post illud tempus, quo Paulus tres fere annos Ephesi commoratus est, scribi potuisse, et si Pauli revera est, in illius temporis spatio locum ei investigandum et adsignandum esse. Quem quum viri, quos in praefatione nominavi, invenire non possent, paulinam esse epistolam negaverunt.

1. Schleiermacher primum historiam Actorum secutus, iter Pauli macedonicum initio nostrae epistolae memoratum idem esse, quod Lucas Act. XX, 1 sqq. refert, arbitratus est. Paulo ante quidem narrare Lucam Act. XIX, 22, Timotheum cum Erasto ab apostolo Corinthum praemissum esse, sed quum Paulus I. Cor. XVI, 10 spem declaret Timotheum, priusquam Epheso discedat, esse reversurum, facile fieri potuisse, ut revera Paulo adhuc Ephesi versanti rursus jungeretur ibique relinqueretur; haec igitur, quae Lucas nobis tradiderit, non obstare Schleiermacher censet, quin eo tempore epistolam scriptam esse putemus. At si reputamus Timotheum post exiguum temporis spatium, ubi Paulus secundam ad Corinthios scripsit epistolam, iterum ei conjunctum esse, itaque paucos tantum dies Ephesi commoratum esse, si tum ibi relictus est, hoc prorsus a mandatis, quae nostra epistola ei injungat, alienum esse, nobis esse dicendum. Non enim eo consilio scripsisse Paulum epistolam, ut Timotheum juberet presbyteros et diaconos eligendos et initiandos curare, sed ut dum ipse abesset secundum praecepta ecclesiam regeret, justum ordinem servaret et falsos doctores coerceret et opprimeret. Haec vero omnia non paucis diebus perfici potuisse, et si quis in ea sententia perstaret, eum in multas et vix enodandas difficultates incidere oportere. Primum enim vix explicari posse, quomodo falsi doctores, quos

Paulus in prima ad Corinthios epistola Ephesi esse ne verbo quidem memoret, tam cito et tam periculosi exstiterint, ut Paulus contra eos maxime esse pugnandum Timotheum monuerit, quum tamen ipse aliquamdiu Ephesi morari et sua auctoritate hominum illorum incepta reprimere sine ullo incommodo potuerit. Deinde autem si falsos doctores repente exstitisse et ad illos coercendos Timotheum relictum esse existimarimus, permirum sane esse, quod Timotheus brevissimo post tempore aut sponte aut Pauli jussu Epheso iterum discesserit, quum nulla ratione putare possimus, tam periculosos falsos doctores tam cito plane esse oppressos, et quod Paulus, cui illo tempore minime defuerint comites sociique, sine ulla causa avocaverit Epheso Timotheum, magno sane et gravi munere fungentem. Denique nullo modo intelligi, quomodo Paulus tum mox Ephesum se reversurum sperare potuerit, quum in Graecia et Macedonia multa negotia ei peragenda fuerint et quomodo in oratione ad presbyteros ephesios postea habita (Act. XX, 18—35) de futuris tantum falsis doctoribus vaticinari, at non jam adesse et adfuisse illos et propter perversitatem esse ex ecclesia ejectos ut Hymenaeum et Alexandrum (I, 20) admonere illos potuerit. Sin nihilominus falsi doctores jam adfuissent et Paulus illa oratione eorum mentionem fecisset, tunc Lucas verba, quae ipse audivit, adulterasset et falsa fallaxque tota Actorum esset historia, quod tamen vix quisquam contendere auderet. — Praeter hanc sententiam epistolam eo tempore scriptam esse, et alias refutat Schleiermacher opiniones, ut Timotheus presbyteros institueret, quod Paulus Demetrii tumultu impeditus facere non potuisset, sed Paulus, qui iam circa festum paschale constituerat, ut mox proficisceretur, satis temporis habuit ad illos eligendos et initiandos nec Demetrii tumultu ad praematuram profectionem coactus est, quum sedato tumultu convocatae ecclesiae valediceret nequaquam statim abiret. Praeterea intrepidum Pauli animum haud decuit, Timotheum adolescentem solum derelinquere in periculo nec firmare hortatione. Opinio, epistolam Timotheo in Macedoniam profecto esse missam, aperte contradicit verbis prooemii, ea autem, scriptam esse in captivitate caesareensi falsa est, quod Paulus suo nomini ὁ δέσμιος τοῦ κυρίου non adjecit, quod facere solebat; dum captivus erat, et quod libertate privatus sperare non potuit, mox Ephesum se esse reversurum, opinioni denique post captivitatem romanam scriptam esse obstat Timothei juventus (IV, 12); quibus expositis Schleiermacher nullum esse tempus, quo epistola scribi potuerit, contendit.

2. Eichhorn, ad quem nunc venio, primum omnes tres epistolas ab uno eodemque auctore oriundas esse ex similitudine dictionis et sententiarum, et quia in utroque a constanti Pauli usu recedant non pauli-

nas esse concludit; quam sententiam si quis ex philologica epistolarum indole probare dubitaverit, historicis etiam argumentis firmare studet. Deinde ad nostram quod attinet epistolam, in universum contendit, ecclesiam ephesiam ita inordinatam incompositamque et omnis scientiae expertem, atque Timotheum ita imperitum et rudem in rebus ecclesiasticis apparere, ut vix credibile sit, eos tales unquam fuisse, breviterque historia ecclesiae Ephesi fundatae exposita epistolam a Paulo, si ei attribuenda esset, paulo post quam Ephesum adiisset scriptam putandam esse ponit. Refutat deinde Moshemii sententiam, qui ex diversa temporis, quod Paulus Ephesi consumpserit, descriptione Act. XIX, 8—10 et XX, 31 concluserit, fecisse Paulum novem mensium iter per Macedoniam et Graeciam et in illo scripsisse nostram epistolam, quippe quae contradicat partim Lucae relationi, qui Paulum duos annos et tres menses continuo Ephesi moratum esse narret, partim Timothei conditioni, qui quatuor cum Paulo annis peractis, tam imperitus et ignarus, qualis nostra epistola describatur, esse jam nequiverit, partim temporum rationi, quum tertium Pauli iter non integros tres annos explerit, Moshemii vero sententia probata longe plus temporis absumpserit. Nec minus improbat sententiam, Paulum Epheso profectum scripsisse epistolam. Tum enim Paulus, quum his Corinthiis promisisset Timothei adventum (I. Cor. IV, 17; XVI, 10), ut ille amicus et interpres apostoli discordiam componeret et Pauli auctoritatem restitueret, Timotheum Corinthum dimisit et si eo non venisset, imprudenter sane fecisset apostolus, quum quod bis promisisset non explevisset et ne verbo quidem in II. Cor. ideo se excusasset; talem vero imprudentiam Pauli certe non fuisse propriam. Attamen non hoc tantum a Pauli moribus alienum tum ei esset attribuendum, sed multo magis etiam pugnantia fecisset, quod Corinthiis Timotheum ut peritissimum doctrinae christianae laudavisset (I. Cor. IV, 17 sqq.), in nostra autem epistola cum eodem ut plane doctrinae christianae imperito egisset (III, 15). Opinionem non ad Timotheum, sed ad ecclesiam ephesiam datam esse epistolam, ideo esse falsam, quod ecclesia tamdiu a Paulo edocta, tam ignara esse non potuerit, nec Timotheo opus fuerit Pauli epistola confirmare, se munere episcopi donatum esse, quum non sine ecclesiae conscientia ad hoc munus a Paulo designatus esse posset. Neque exactam temporum descriptionem nostram epistolam scriptam putare sinere; iter enim Pauli Epheso Hierosolyma factum quinque fere menses explevisse, quorum tres in Achaja consumpserit (Act. XX, 3) ut duo tantum relicti essent ad peragrandam Macedoniam et Graeciam indeque Hierosolyma usque perveniendum. Dum haec omnia geruntur et II. Cor. scripta est et Paulus Corinthum venit, ante quod haec facienda erant:

Paulus, relicta Epheso, Troade Titum frustra exspectat (II. Cor. II, 12), in Macedoniam pergit, ubi Tito invento, et Timotheo, quem sine ulla causa Ephesi reliquerat, rursus ad se vocato, II. Cor. scripsit et tum peragrata Macedonia Corinthum attigit. Quibus consideratis vix nonnullae hebdomadae inter Pauli profectionem et II. Cor. scriptionem interjectae esse possunt et sive in itinere ad Macedoniam sive in Macedonia ipsa scriptam epistolam I. ad Tim. et aliam qua Timotheus rursum avocatus est, putaveris, vix tempus relinquetur, ut haec omnia, quae memorata sunt, fieri possint. Omnia vero facilia et expedita sunt, si illam hypothesin rejeceris.

3. De Wette breviter tantum ostendit, res quas initio epistolae narratae sint, minime ad iter Pauli macedonicum Act. XX, 1 memoratum quadrare. Concedit quidem, fieri potuisse ut Timotheus antea in Graeciam praemissus Ephesum ante Pauli profectionem reverteretur, sed plane a verisimili abhorrere dicit, Timotheum tam cito Epheso rursus advocatum esse et Paulum sperare potuisse se mox Ephesum reversurum esse.

4. Schott primum rejicit Moshemii sententiam, quippe cui obstet quod non memoretur iter illud macedonicum in Act., nec concludi possit ex verbo τριετία Act. XX, 31, quae non accurata temporis definitio ex magna animi affectione oriunda fuerit, quod non nascente modo sed jam corroborata et aucta Ephesi ecclesia epistola scribi potuerit, quod denique nulla ratio investigari possit, qua Paulus mox post ejus adventum Epheso in Macedoniam profectus sit. Deinde sicut Schleiermacher et Eichhorn refutat opinionem, Paulum Epheso propter Demetrii tumultum subito profectum scripsisse epistolam, quod plane sedato tumultu demum abierit nec quidquam de tumultu periculoso memoret nec Deo propter auxilium gratias agat nec Timotheum ad fortitudinem hortetur, et quod vix credibile sit, Paulum subito mutasse consilium sine ulla causa et avocasse Epheso Timotheum, et omnia quae ut Eichhorn monuisset facienda fuissent inter Pauli profectionem et II. Cor. conceptionem brevissimo illo tempore revera facta esse. Reprobatis etiam sententiis, Paulum ex Achaja Hierosolyma profectum ad Timotheum Ephesum praemissum dedisse literas, quia Timotheus usque Troadem tantum praegressus sit (Act. XX, 5), et scriptam esse in captivitate caesareensi, quia captivitatis nulla facta sit mentio, pro verisimillimo habet scriptam esse nostram epistolam post primam captivitatem romanam non quidem a Paulo ipso sed a socio aliquo, cui Paulus res quas scriberet mandasset.

5. Baurii sententias secunda capitis parte recensebimus.

6. Credner neutram sententiam, scriptam esse epistolam a Paulo Epheso profecto aut ex captivitate prima liberato probare potest, quia,

quod Timotheus Ephesi non relictus sit, Paulus mox se Ephesum reversurum sperare non potuerit, doctores falsi tum nondum adfuerint et secundum ea quae de statu ecclesiae dicta sint, jamdiu constituta esse putanda sit alteri, alteri vero juventus Timothei et properatus propter eam statumque ecclesiae reditus a Paulo flagitatus et pro necessario habitus repugnent; itaque nullum locum epistolae in Pauli vita inveniri posse dicit.

7. Neudecker et sententiam scriptam esse epistolam a Paulo mox post fundatam Ephesi ecclesiam in Macedoniam profecto, ut plane arbitrariam, et sententiam, scriptam esse epistolam a Paulo redeunte ex Achaja in Macedoniam, aut relicta Epheso Act. XX, 1. ut Actorum narrationi repugnantes et sententiam in captivitate caesareensi aut post primam captivitatem romanam epistolam esse scriptam rejicit, atque quum omnes hae sententiae difficultatibus impeditae ideoque improbandae sint, Schleiermachero adsentitur et nullum epistolae in Pauli vita locum esse contendit.

Priusquam quas retuli sententias recenseam dijudicemque, primum monendum mihi videtur, secundum verba epistolae ipsius ad Timotheum solum, sed non ad ecclesiam seu presbyteros ephesios scriptam esse putandam et plane assentior iis, quae contra hanc sententiam protulerunt Schleiermacher et Eichhorn. Tum si ipsas jam adeo sententias, propter ea, quae in dissertatione de altera Pauli captivitate exposui, concedere non possum, epistolam a Paulo ex prima quae dicitur captivitate soluto scriptam esse, et illa sententia, qua Paulus Epheso profectus epistolam scripsisse dicitur, tot mihi difficultatibus premi videtur, ut pro vera habere eam non possim. Ad quod non quidem commoveor temporis descriptione, quam Eichhorn maxime et Schott attulerunt, quum falsam eam esse jam in Pauli vita enarranda ostenderim, nec tres vel quinque sed decem fere menses in itinere Epheso per Macedoniam et Achajam Philippos usque facto Paulum consumpsisse, verum perversa agendi ratio, qua hac probata sententia Paulus Timotheum modo ecclesiae ephesiae praefectum sine ulla causa ad se revocasse putandus esset, et spes mox Ephesum revertendi, quam eo tempore Paulus habere non potuit, me cogunt, ut ab hac sententia recedam et recta esse, quae contra eam prolata sint contendam. Perverse autem sine dubio egisset Paulus, si Timotheum a munere quod Ephesi ei demandasset, tam cito revocasset, quum eo tempore socii comitesque ad perficienda ejus mandata idonei ei non deessent; Timotheum autem sponte et invito Paulo officium reliquisse aut propter metum periculi cujusdam aut ad aliam ecclesiam curandam ideo mihi incredibile est, quod nullum majus officium ei injungi

potuit quam ecclesia ephesia tum jam maxima administranda et quod a fideli ejus animo abhorret, derelinquere ex metu officium, quum etiam mortis periculo ad Paulum amicum Romae captivum veniret intrepidus. Spem autem Ephesum mox revertendi Paulus habere non potuit, quod tum sibi proposuerat, ut longius aliquod tempus Corinthi maneret, quando eo pervenisset I. Cor. XVI, 7. Omnes fere difficultates autem amoventur, si epistolam in eo itinere, quod ut in Pauli vita narranda ostendi eo tempore, quo Ephesi erat, Corinthum fecit, scriptam esse ponimus; tum enim Paulus Epheso in Macedoniam profectus juvenem Timotheum ibi relinquere ad regendam ecclesiam ipso absente, tum Timotheus recenter in Pauli societatem receptus omnibus quae nostra epistola continet praeceptis egere, tum denique Paulus mox Ephesum revertendi spem habere potuit. Contra hanc vero sententiam non quod Eichhorn voluit afferendum est, iter illud non narrari in Act.; nam illis cum Pauli epistolis maxime II. Cor. XI, 22 sqq., Gal. I, 17 sqq., Rom. XV, 19 comparatis apparet, multas Pauli res gestas Lucam in Act. silentio omisisse. Sed quominus hanc sententiam, quam Schrader et Wieseler maxime commendaverunt, et revera satis verisimilem fecerunt, amplectar, loco Act. XX, 29 prohibeor, quo Paulus verbis: μετὰ τὴν ἀφίξιν μου εἰσελεύσονται λύκοι βαρεῖς κ. τ. λ. aperte mea quidem sententia dicit, ad illud usque tempus ecclesiam ephesiam a falsis doctoribus, mox quidem venturis, nondum esse turbatam atque quum ex his apostoli verbis, quae Lucas ipse audivit et sine dubio fideliter memoria tenuit nobisque tradidit, appareat Timotheum ante illud tempus ad coercendos falsos doctores relictum esse non posse, praecipuusque finis igitur, quem epistola nostra prae se ferat, certae historiae repugnet, fatendum mihi est, nostrae epistolae locum in Pauli vita etiam me reperire non posse, nisi Actorum fidem historicam in hujus certe orationis relatione impugnare quin immo tollere maluerim. Ad quod quum ne minima quidem causa compellar, nullam aliam, quam collegi, ex disquisitione antecedenti summam colligere possum.

§. 4. De tempore, quo epistola ad Titum scripta sit.

Epistola ad constituendum tempus, quo scripta est, haec praebet indicia. Paulus cum Tito in Creta insula evangelium praedicaverat (I, 5), relicto comiti, cui ecclesiae constituendae curam demandavit, imperat, ut Apollinem et Zenam necessariis instrueret et misso ad ipsum Artema aut Tychico (III, 13), quam celerrime ad Paulum veniret, qui Nicopoli hiemare constituit: ex quibus sequitur, Paulum tunc fuisse liberum,

quum proximam hiemem Nicopoli transigere vellet et novisse Apollinem, quem ante tempus, quo Ephesi moratus est, Act. XIX. non vidit; ergo non ante illud tempus scribi potuit epistola nec post tempus, quo apostolus Hierosolyma profectus ibi libertate privatus est.

1. Eichhorn primum monet, iter Pauli cum Tito in Cretam factum nusquam memorari, rejectisque Cappelli et Michaelis opinionibus, qui dum Paulus Corinthi versatur Act. XVIII. epistolam nostram scriptam esse arbitrati sunt, neque tunc ubi Paulus Ephesi tres fere annos erat, scribi potuisse contendit, quia secundum Lucae narrationem Paulus continuo Ephesi manserit et prorsus diverso itinere usus sit, quam quod nostrae epistolae initium postulet. Denique et Grotium refutat, qui contenderit, Paulum cum Tito in Creta fuisse et paulo post epistolam scripsisse, ubi captivus Romam ductus ad Cretam appulit Act. XXVII, 8, quum tum Paulus Titi societate non usus sit nec captivus brevi tempore ecclesiae fundamenta jacere in Creta potuerit, multo vero minus consilium capere ut proximam hiemem Nicopoli transigat.

2. De Wette alios scriptam esse epistolam, quum Paulus Epheso proficisceretur Act. XX, 1—3, alios ubi Corinthi diutius moraretur, alios quum Corintho Ephesum peteret, alios quum Ephesi tres fere annos esset, alios denique quum secundum iter Corinthiacum faceret contendisse refert; sed simul omnes errasse dicit, quia omnes illorum sententiae haud verisimiles sint nec ullo tempore Paulus Nicopoli hiemem transigere velle potuerit. Qui ante commorationem ephesiam epistolam scriptam esse vellent, non respexisse, Paulo tum nondum notum fuisse Apollinem; qui in ea aut post eam epistolae scriptae tempus ponerent, non reputasse, itineri in Cretam faciendo ibique evangelio praedicando vix tempus relinqui; unam igitur sententiam quae probabilis videri possit, esse eam, qua post primam captivitatem romanam epistola scripta esse putetur, ni et huic obstaret, Titum plane in aliis regionibus occupatum videri, quam in Creta (II. Tim. IV, 10) itaque ex his difficultatibus et magna scriptorum dissensione concludit, locum epistolae in Pauli vita non esse.

3. Schott primum magnam scriptorum de tempore scriptae epistolae dissensionem confessus, non tamen desperandum de illo investigando esse dicit. Refutata deinde Cappelli, Michaelis et Grotii sententia, etiam eum errare contendit, qui epistolam scriptam esse arbitretur, aut dum Paulus Ephesi commoretur, quod relationi Actorum contradicat, aut dum apostolus Epheso in Graeciam proficiscatur, quod propter temporis brevitatem et magnam festinationem, qua tum Paulus usus sit, fieri non potuerit. Suam denique sententiam eam proposuit, Paulum Corintho profectum Act. XVIII, 18 tempestate aut mercaturae causa in Cretam

delatum, ibi praedicasse evangelium et Tito, qui alia via in Cretam venisset, nostram epistolam postea Epheso misisse, quanquam non prorsus illi negandum videtur, post primam captivitatem romanam scriptam esse epistolam propter similitudinem et dictionis et argumenti epistolae ad Titum et prioris ad Timotheum.

4. Credner omnibus aliis sententiis rejectis eam maxime probabilem et verisimilem esse dicit, scriptam esse epistolam, ubi Paulus Corinthi esset aut ubi hinc Ephesum et Hierosolyma peteret.

5. Neudecker Cappelli et Michaelis nec non Grotii opiniones veras esse negat, etiam ab illis dissentitur, qui in commoratione Pauli inter Ephesios, aut inter primam et secundam captivitatem romanam scriptam epistolam esse putaverint, nec tamen Eichhornio et de Wettio assentitur, qui nullum in Pauli vita locum epistolae investigari posse contenderint, sed quum Credneri sententiae adstipuletur hanc nullis contradictionibus premi ideoque pro vera habendam esse censet.

In dijudicandis hisce sententiis haec duo tenenda sunt, omnes errasse qui scriptam esse epistolam post iter hierosolymitanum, quia tum Paulus libertate privatus erat, nec minus eos, qui ante commorationem Pauli ephesiam scriptae epistolae tempus esse putarent, quum tum nondum notus esset Paulo Apollo. Sententias, quibus post primam captivitatem epistola scripta esse dicitur, jam §. 2. refutavi. Recte igitur et Cappelli et Michaelis et Grotii sententiam viri docti, quos nominavi, improbaverunt, sed ex duplici regula, secundum ipsius epistolae indicia supra constituta, simul sequitur etiam Schottium et Crednerum et Neudeckerum erravisse, qui scriptae epistolae tempus, priusquam Apollo cum Paulo notitia et amicitia junctus esset, ponerent. Nunc disquirendum est, an verum sit, quod Eichhorn et de Wette contenderint, nullum in Pauli vita epistolae esse locum. Quibus viris prorsus quidem assentior ea in re, apostolum in itineribus, quae Lucas commemorat, epistolam scribere non potuisse, nam quum Corintho Ephesum et Hierosolyma proficisceretur, Titum secum duxit nec in Creta relinquere potuit (Gal. II, 1), et quod Schott dicit, Paulum tempestate in Cretam delatum perrexisse Hierosolyma, Titum vero alia via in Cretam venisse, aperte ipsis epistolae verbis contradicit, secundum quae Paulus Creta profectus Titum ibi reliquit (Tit. I, 5 κατέλιπόν σε) et hac de causa falsum est. Neque in eo itinere, quo Paulus Epheso in Macedoniam profectus est, scribi potuit epistola, quum tum temporis Titus bis Corinthum missus ibique Pauli mandatis functus esset (II. Cor. VIII, 16; XII, 18), nullum igitur tempus reliquum esset, quo cum Paulo in Cretam proficisci ibique commorari posset. In ultimo itinere, quod Philippis Hierosolyma apostolus fecit,

propter maximam festinationem, qua utebatur, epistolae scribendae locus non est, et quum haec omnia concedam, videri potest, nullum omnino in Pauli vita epistolae esse locum. Sed unus relinquitur, quem contra de Wettium illi vindico, secundum scilicet iter, quod Paulus Epheso Corinthum fecit. Quae sententia nec quod Eichhorn attulit, argumento, in Actis non memorari iter illud, nec quod Schott attulit, loqui Paulum II. Cor. XII, 14 et XIII, 1 tantum de ter capto Corinthum veniendi consilio, nec quod de Wette attulit, iter illud corinthiacum quando factum sit plane definiri non posse et vix credibile esse, Paulum, si jam tum ecclesia corinthiaca factionibus turbata vitiisque foedata erat, nil contra haec fecisse et nihil de hac re in I. Cor. commemorasse, sin integra etiam tum esset ecclesia, locos II. Cor. II, 1 et XII, 21 vix explicari posse, — refelli mihi videtur. Nam quod ad primum attinet, satis notum est Lucam in Act. non omnes Pauli res gestas narrasse et ipse hoc monui pag. 5, si autem quid in Pauli epistolis memoratur, non minus certum et constitutum haberi debet, quam si Lucas commemoravit et narravit, tum ad secundum quod attinet, perversa sane interpretatione Schott usus esse mihi videtur, quum ἔρχομαι II. Cor. XIII, 1 pro praesenti conatus haberet nec reputaret, Paulum in ipso itinere jam fuisse, optime igitur se jam advenientem Corinthiis nunciasse, denique quod de Wette profert, re accuratius spectata falsum esse statim apparebit. Satis enim accurate tempus illius itineris facti definitur, si ponimus, Paulum Epheso profectum esse, postquam plus duobus annis ibi mansit, Corinthum invisisse et deinde ex Graecia in Cretam cum Tito venisse et propter exiguum tempus non plane ecclesias constituisse, sed mox Tito relicto Ephesum revertisse, ubi sub initium anni LVII. nostram epistolam scripsit et sequentem hiemem, sicut sibi proposuit (III, 12), Nicopoli transegit, quod in Pauli vita supra monui. Quo cum tempore scriptae epistolae constituto optime consentitur status ecclesiae corinthiacae. Secundum enim meam sententiam sub finem aestatis a. LVI. Paulus Corinthum venit, unde tres fere annos abfuerat et scortationem jam vulgatam fortasse etiam semina errorum et dissidiarum, a falsis doctoribus postea maxime concitatorum conspexit, jure igitur dixit (II. Cor. II, 1; XII, 21) se tristi animo jam tum Corinthum venisse. Ad quae mala ecclesiae corinthiacae imminentia quam maxime reprimenda, non solum epistolam, nobis quidem non servatam, sed I. Cor. V, 9 memoratam conscripsit, qua Corinthios graviter admonuit, ne tantopere Veneris turpitudini indulgerent, et qua satis quae ipse Corinthi ad emendandos mores dixisset et fecisset, commonefacere Corinthios potuit, sed etiam misit Timotheum et Erastum (Act. XIX, 22), ut illi praesentes Corinthiis medelam afferrent

atque his dimissis I. Cor. scripsit, qua gravissime ut vitia, quibus indulsissent, deponerent, commonuit et cohortatus est. Neque id quod Titus insequente tempore bis Corinthum missus est (II. Cor. VIII, 16; XII, 18) contra meam sententiam pugnat, nam is facile negotio, quod Paulus ei mandasset, in Creta perfunctus, Ephesum redire indeque Corinthum mitti, aut quod verisimilius etiam est, a Tychico *), quem se missurum Paulus promisit, ex Creta avocari et cum illo Corinthum proficisci potuit; mihi certe ad haec itinera facienda satis temporis relinqui videtur, si epistola eo quo dixi tempore scripta est. Scripta igitur est, ut breviter repetam sententiam meam, epistola sub initium a. LVII, postquam aestate antecedente Paulus cum Tito Corinthum et Cretam invisit indeque Ephesum revertit, ad quod tempus constituendum omnia, quae praebet epistola indicia, uno ore conspirant.

§. 5. De tempore, quo posterior ad Timotheum epistola scripta sit.

Ex epistola ipsa apparet (I, 17) Romae esse scriptam ubi Paulus captivus mortem sibi jam instantem oppetebat et Timotheum ut ei valediceret ad se vocavit; quaerendum igitur est, an necessario ex epistolae locis in altera captivitate romana scribenda fuerit, nec ne, et quum jam pag. 9 contenderim, in prima et unica captivitate scriptam esse mihi videri, expositis adversariorum argumentis sententia quam ibi praesumpsi uberius probanda est.

1. Eichhorn primum in eo epistolam cum Actorum narratione consentire dicit, quod Lucas solus apud Paulum esse dicatur, Timotheus autem et Marcus Romam accersantur, sed multa et gravia argumenta etiam contra epistolam pugnare. Nam si Pauli est, scribenda fuit, statim ubi Romam advenit, quum postea Timotheus et Marcus, quos ad se vocavit, dum epistolae ad Colossenses, Philippenses et Philemonem scribuntur, apud eum essent. Deinde Timotheus Ephesi esse dicitur et Onesiphorum salutare jubetur, sed simul Aquilam et Priscillam, qui quidem eo tempore non Ephesi, sed Romae fuerint (Rom. XVI, 3). Tum plane a veritate abhorrent, quae de Trophimo et Erasto narrantur; Trophimus enim aegrotus Mileti mansisse dicitur, quod neque in itinere ultimo hierosolymitano, quum Trophimus Paulum usque in templum Hierosolymorum comitatus sit (Act. XXI, 29) neque in itinere Caesarea Romam facto fieri potuit, ubi nec Trophimus apud Paulum erat (Act. XXVII, 2 sq.) nec

*) Hic enim fuisse videtur ὁ ἀδελφός, cujus Paulus II. Cor. XII, 18 mentionem facit, de qua re vide Wieseler Chronol. d. apost. Zeitalters pag. 350 ff.

Paulum Miletum attigit. Denique Paulus dicere non potuit, Timotheum salutari a Romanis, (IV, 21) quos Paulus usque ad id tempus nunquam vidit et novit, nec ita fracto et demisso animo esse debuit, qualis in nostra epistola fuisse videtur, ubi satis liberali custodia utebatur nec ulla indicia mortem instantem ei minabantur. Alia quae Eichhorn ad Pauli et Timothei societatem haud apta in nostra epistola reperisse sibi visus est, in secunda capitis parte exponam. Omnia argumenta, quae contra epistolam pugnent, amoveri dicit, si in secunda captivitate romana scripta esse putetur, quam tamen et ille rejicit.

2. De Wette ab eadem qua Eichhorn profectus sententia, epistolam, si prima captivitate romana scripta sit, ante epistolas ad Colossenses, Philippenses et Philemonem scribendam fuisse contendit, contra quam tamen pugnent et quod Tychicus et Demas dimissus sit et quod Paulus peracta prope causa mortem proxime instantem sibi videat. Quae etsi difficultates quodam modo amoveri possint, nullo modo de Trophimo et Erasto narrationem cum vera historia conciliari posse, quum Trophimus, etiamsi iter nostra epistola memoratum pro eodem quod Philippis Hierosolyma fecit apostolus, habueris, Mileti aegrotus non sit relictus, sed cum Paulo in templo hierosolymitano adfuerit (Act. XXI, 29); Erastum autem Corinthi mansisse post tres demum annos Timotheo narrari valde ineptum videri. Etiam salutem Aquilae et Priscillae, qui secundum Rom. XVI, 3 Romae fuerint, missam et Aristarchi in loco IV, 10 omissionem, qui tamen Paulum Romam comitatus sit (Act. XXVII, 2), dubitationi ansam praebere. Sententiam, epistolam in secunda captivitate romana scriptam esse, haud esse verisimilem, partim quod nulla primae captivitatis fiat mentio, partim quod multa eodem modo in altera captivitate atque in prima Paulo contigisse debuerint (II, 9 coll. Act. XXVIII, 31).

3. Schott multis argumentis, quae pro utraque captivitate pugnent, enumeratis, ea refert, quae primae captivitati obstent. Iter quo Erastus Corinthi manserit, multo aptius inter primam et secundam captivitatem, quam tempore, quo apostolus Hierosolyma profectus sit, factum esse putari. Paulus Phil. II, 23, priusquam de fine causae suae certior factus esset, Timotheum dimittere noluit, nec tamen in nostra epistola de hoc certior factus est; si igitur in una eademque captivitate scriptae epistolae essent, non sibi consentaneus fuisset Paulus, quod quum nullam prorsus mutati consilii causam videamus, putare non debemus. Crescens et Titus nec in aliis Romae exaratis epistolis nec in Act. Pauli comites nominantur, attamen in nostra epistola; Aristarchus autem notus Pauli comes (Act. XXVII, 2) hic non nominatur, Demas denique, cujus ceterae Romae scriptae epistolae fidem et constantiam laudibus celebrant (Colos.

IV, 24, Philem. 24), nostra epistola infidelitatis accusatur; ex omnibus his rebus mutatis potius in altera captivitate scripta epistola esse videtur. Idem apparet ex Trophimi commemoratione, qui nonnisi in itinere inter utramque captivitatem facto Mileti aegrotus relictus esse potest. Denique ex spe, qua Paulus in ep. ad Philip. gaudebat et ex metu, quo in nostra epistola concipienda fremebat, elucet, plane diverso tempore eas esse scriptas; sed si priorem nostram ponimus, relationi Act. XXVIII. contradicemus, secundum quam Paulus nondum auditus erat, sin posteriorem, contradicit captum Pauli de Timotheo consilium, de quo supra diximus.

4. Credner primum ex difficultatibus constituendi, quo scripta sit temporis, ex exspectationibus rerum proxime instantium sibi ipsis contradicentibus (IV, 6—8 et 15—18) et ex dictione et argumento multa haud apta exhibentibus concludit, epistolam nostram, qualis nobis sit tradita, a Paulo ipso non esse conscriptam. Deinde autem, quum praeter hos duos locos, qui diversas rerum instantium exspectationes contineant, duplex prooemium (I, 3, 5 et I, 3, 4), duplicem invitationem (IV, 9 et 21) atque duplicem epilogum (IV, 22) invenerit atque omnes hos locos optime paulinos esse et dictione et sententiis animadverterit, proponit sententiam, esse nostram epistolam ex duabus vere paulinis epistolis compositam et multis sed haud aptis additamentis ab editore auctam. Priorem harum epistolarum locos cap. I, 1—3, 5, 8—12, 15—18; III, 10, 11; IV, 13, 16—19, 21, 22 ab initio complexam a Paulo conceptam esse putat, ubi Romam advenerit et quia diuturnam fore captivitatem praeviderit, Timotheum Mileti relictum (Act. XXI, 18) ad se vocaverit; posteriorem autem et locis cap. I, 3, 4; II, 3—5, 9, 10; IV, 6—12, 20—22 compositam in altera captivitate scriptam esse contendit, ubi Paulus morti fuerit proximus et Timotheum Marcumque, in vicinia Italiae probabiliter versantes, ad se accierit, quibus secundum Irenaeum etiam ante mortem valedixerit. Alia quae epistola contineat ab editore addita esse.

5. Neudecker primum negat in prima captivitate seu incepta modo seu prope finita scribi potuisse epistolam, quia quae de Pauli comitibus dicta sint, nec cum Act. nec cum aliarum Romae scriptarum epistolarum narratione consentiant, quia descriptio itineris, quo Trophimus Mileti relictus esse dicatur, Actis repugnet, quia denique conditio et fortuna adversa, qua in nostra epistola conscribenda Paulus usus sit, aliis quae de captivitate romana sciamus prorsus contradicat. Deinde autem multa obstare dicit, quominus in altera captivitate romana scripta esse putetur epistola, maxime quod eadem lenitate tractatus Paulus esse dicatur et in ultimo mortis periculo Timotheum et Marcum ad se arcessat et hisce

de causis de Wettio assentitur, tempus hujus conscriptae epistolae commode definiri non posse.

Sententiae quas retuli in tres partes quum considerentur sunt distinguendae et primum quidem apparet eam quam Credner proposuit non hic sed secunda capitis parte esse pertractandam, quum tota ad originem epistolae explicandam spectet; deinde autem ea quam Eichhorn et de Wette tuentur, esse epistolam prius quam alias Roma datas conceptam et toti epistolae naturae quippe quam in ultimo mortis periculo aperte scripserit apostolus et Act. XXVIII. narrationi, secundum quam duobus prioribus annis publice causam non egerit Paulus, prorsus contradicit et a veritate abhorret. Quibus refutatis illa tantum, quibus Schott usus est quibusque alii consentiunt, argumenta relinquuntur uberiusque tractanda sunt. Quod antequam faciam commodum esse videtur, de locis ex quibus omnia fere repetita sunt cap. IV, 10 et 20 aliqua praetermittere. In utroque loco tristem suam apostolus describit solitudinem et orat familiarem suum Timotheum, ut mox ad se veniat et societate se ab omnibus fere derelictum sublevet et consoletur. Consolari igitur se ipse studet apostolus, quum quam tristis et desolatus sit amicissimo Timotheo enarret et misericordia commota ad solamen ipsi ferendum excitet, itaque non necesse est, apostolum ignota referre, sed totus in describenda miseria defixus etiam vetera et Timotheo nota narrare potuit, quum ea effecerint, ut nunc tantopere ab amicis destitutus et tanta miseria afflictus sit. Hanc quidem rem a natura familiaris epistolae, quae nostra tota est, alienam esse, nemo fere contendet. Deinde hoc monuerim, ex loco Act. XXVIII, 2 sequi mihi non videri, nullum alium quam Lucam et Aristarchum in itinere Caesarea Romam facto Paulum comitatum esse, nam voce σὺν ἡμῖν Lucas non solum se et Paulum sed etiam plures comites comprehendere facile potuit (cf. Act. XVI, 10 sqq.). Quae si quis concesserit quod me quidem judice concedere debet, haudquaquam incommode Paulus narrat, omnes praeter Lucam ab ipso abiisse socios, Erastum quod fortasse pollicitus erat, Romam non venisse et Paulo deprecatorem exstitisse, et Trophimum, qui quum tumultus in templo exorti testis esset, Paulum maxime a crimine injuncto liberare posset non venisse Romam sed propter morbum in itinere fuisse relinquendum. Nam hoc mihi persuasum est, Trophimum, qui cum Paulo Caesarea profectus erat, adversa navigatione contraxisse morbum propter quem aut initio itineris, quum navigio adramytteno Asiae oras praeterveherentur, Mileti in Caria siti relictus est (Act. XXVIII, 3), aut Myrae in Lycia expositus domum abiit, ut Paulus peracto itinere recte diceret, relictum esse et mansisse Mileti, quo aegrotus pervenisset. Non tamen

plane improbaverim Bezae conjecturam, qui pro Μιλήτῳ, Μελίτῃ scribendum putavit, contra Hugii sententiam, testes et deprecatores Pauli undique convenisse, cum Trophimo Miletum venisse eumque ibi aegrotantem reliquisse, rejicio, quia artificiosior quam verior esse mihi videtur. Destitutum igitur optimo deprecatore Erasto, qui vir illustris et Corinthi οἰκονόμος erat, atque maximo teste Trophimo solum se ante tribunal statutum esse jure conqueritur Paulus et hoc quomodo evenerit familiari narrat Timotheo. Ex his igitur, quae ut probasse mihi videor in prima captivitate commode fieri potuerunt, altera captivitas non est colligenda. Sed etiam ex aliis, quae afferunt adversarii, non effici eam posse censeo, neque ex mutato de dimittendo Timotheo Pauli consilio, quod multis nobis quidem ignotis causis mutari potuit, neque ex salute, Aquilae et Priscillae Ephesum missa, qui post quinque fere annos facile iterum Roma Ephesum transmigrare potuerunt. — His expositis argumentisque adversariorum, me quidem judice, refutatis, meam denique proponam sententiam. Propter mortis propinquitatem atque propter actionem Pauli prope finitam epistola nostra conscribenda fuit duobus, de quibus Lucas in Actis narrat captivitatis annis jam praeterlapsis, itaque serius quam omnes, quas Paulus Romae scripsit epistolae. Hoc modo quum in ultimo vitae periculo Paulus tum versaretur, facile explicatur, cur factum sit, ut Paulum comites relinquerent, sicut Demas, ut Timotheus, qui tempus aliquod Romae fuerat, iterum inde profectus esset, ut denique ille fidelis Pauli socius ad ultimum colloquium vocaretur. Ex omnibus antecedentibus igitur colligo sententiam, epistolam ineunte vel media aestate anni LXIII. a Paulo esse conscriptam.

Si ad ea, quae adhuc pertractavi, respicio, summa inquisitionis haec est, ut intelligamus, priori ad Timotheum epistolae non esse in Pauli vita locum, contra quando posterior ad Timotheum et epistola ad Titum scripta sit, recte et commode definiri posse. Sed non plane negotio meo perfunctus esse mihi videor, priusquam etiam adversariorum epistolarum originis explicandae conamina examinaverim et hoc modo ea quae adhuc proposui confirmaverim. Quae res quum magnopere etiam compositionem et nexum epistolarum spectet, ex qua non pauca petantur argumenta, etiam de his rebus dicendum mihi erit; sed quum hanc partem priori eum in finem addam ut prior firmetur, excusatum me fore spero, si nonnullis locis critica magis quam historica argumenta tractare videor. His praemonitis ad secundam capitis partem jam pergo.

CAPITIS PRIMI PARS SECUNDA.

ADVERSARIORUM EPISTOLARUM ORIGINIS EXPLICANDAE CONAMINA.

§. 1. Conamina epistolae prioris ad Timotheum originis explicandae.

1. Schleiermacher primum ex magna copia verborum ἅπαξ λεγομένων in I. Tim. obviorum suspicione mota hanc firmare et certam facere studet, quum ostendat, omnia haec verba eadem in II. Tim. et Tit. inveniri indeque desumpta esse, sed tali modo, ut scriptorem I. Tim. male intellexisse sententias, ideoque verbis falso usum esse aperte videamus, quapropter necessario ex illis duabus epistolis nostram compositam et compilatam esse concludatur. Statim ab initio I. Tim. I, 1, 2 verba ϑεὸς σωτὴρ, γνησίῳ τέκνῳ ἐν πίστει et κατ' ἐπιταγὴν ϑεοῦ ex Tit. I, 3, 4 desumpta esse, sed ϑεὸς σωτήρ, quod in Tit. ad redemptionem per Christum factam referatur, hic nude esse positum, deinde I. Tim. I, 4 προσέχειν μύϑοις καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις ex Tit. I, 14 et III, 9 descriptum esse, sed alia notione usurpatum, quum Tit. I, 14 μύϑοι definiantur ἰουδαϊκοὶ καὶ ἐντολαὶ ἀνϑρώπων, hic vero componantur cum γενεαλογίαις ἀπεράντοις, itaque dum in Tit. aperte ad errores judaicos spectet, nostro loco fortasse gnosticas aeonum series, similesque earum fabulas significare; praeterea verum horum verborum sensum difficilem esse explicatu, quod apud Paulum vix usquam reperiatur, quum is malum et errorem in ecclesia obvium semper clare et distincte definiat eaque re tollere studeat. Eodem modo usurpatum esse verbum ζήτησις (I, 4). Porro verbo ἀστοχεῖν II. Tim. II, 18, unde desumptum sit inesse notionum scopum non assequendi, contra I, 6 et VI, 21 significare hoc verbum, deperdere quod quis jam habuerit, male igitur intellectum esse; verbo ἐκτρέπεσϑαι inesse II. Tim. IV, 4 notionem aberrandi, eandem I, 7 et IV, 15; sed VI, 20 idem esse ac fugere seu vitare, quod Paulus semper verbo φεύγειν significet; διαβεβαιοῦσϑαι ex Tit. III, 8 male descriptum esse, quum homines, qui tam

confidenter sententiam veram esse affirment, nescire quidem quae affirment dicantur (I, 7) verba ὑγιαίνουσα διδασκαλία (I, 10.) in II. Tim. et Tit. semper de dogmatica, hic autem de morali doctrina usurpata esse; κήρυξ ex II. Tim. I, 11 et ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ, οὐ ψεύδομαι ex Rom. IX, 1 ad verba descripta esse, (II, 7) quanquam illa affirmatio in ep. ad Rom. aptissima hic prorsus inepte posita sit. In describendo episcopo scriptorem omnino sequi Tit. I, 5 — 9 nonnullis tamen verbis male intellectis et adhibitis, v. c. μὴ πάροινος verbo νηφάλεος ex Tit. II, 2, πλήκτης verbo ἄμαχος ex Tit. III, 2, male appositum esse. Verba ἐν καθαρᾷ συνειδήσει, II. Tim. I, 3 aptissime cum λατρεύειν τῷ θεῷ conjuncta, plane obscure apposita esse verbis ἔχειν τὸ μυστήριον τῆς πίστεως (III, 9), formulam πιστὸς ὁ λόγος II. Tim. II, 11 optime et gravissime usurpatam, I, 15 et IV, 9 nullius prope ponderis et momenti esse. Denique compilatam nostram esse epistolam maxime ex loco I, 20 elucere. Ibi enim Hymenaeum et Alexandrum, qui secundum II. Tim. II, 17 et IV, 14 plane diversi fuerint homines, alter scilicet christianus de resurrectione futura dubitans, alter Pauli inimicus et hostis, fortasse Judaeus Act. XIX, 33 commemoratus, ut aequales similesque esse compositos; quam tamen sententiam, seu eosdem qui II. Tim. memorentur, seu alios fuisse putaveris, in multas et inextricabiles incurrere difficultates, quae tum demum solvantur, si scriptorem epistolae rerum Ephesi gestarum ignarum, ex illis duobus locis compilasse hanc sententiam (I, 20) putaveris. (Copiose haec res tractata est a Schleiermachero in: sämmtliche Schriften Vol. II. pag. 265 — 270). — Sed hac expositione non contentus, id jam agit Schleiermacher, ut demonstret, totam epistolam Paulo esse indignam et ab eo scribi non potuisse, quia omni prope sententiarum nexu careat et a fine proposito, quem prae se ferat, prorsus aberret. Causam enim primariam, cur scripta sit epistola, esse sine dubio eam, ut Timotheus admoneatur et instituatur ad falsos doctores coercendos; in omnibus vero locis, ubi de illis verba facta sint, nil praecipi, nisi ut vitet eos Timotheus, et praeterea nunc de praesentibus nunc de futuris falsis doctoribus dici, ita ut argumentum epistolae consilio, quo scripta esse dicatur, plane repugnet atque sententia, quae primaria epistolae esse debuerit, leviter tantum tangatur. Praetera autem nullam ideam a scriptore rite ad finem perduci, sed saepe quod plane a Pauli more et stylo abhorreat, uno verbo illum induci, ut ad alias res omnino diversas transeat, nec tamen rem quam antea tractaverit iterum resumat. Sic consilio epistolae indicato aliqua de falsis doctoribus, tum verbo νόμῳ v. 8 inductum de lege tum verbo εὐαγγελίῳ motum de Pauli vita sed immoderatis vituperiis permixta

exponere illum, qua re ad laudandum Deum proreptus iterum de falsis doctoribus pauca adjiciat, quae tamen omnia a fine proposito aliena sint. Hinc subito ad preces fundendas pro omnibus hominibus transeuntem, de Christo in universum iterumque de Paulo aliqua dicere, tum praecepto de precibus repetito de feminarum moribus, tum de episcopis et diaconis eorumque uxoribus dicere, quod quum ex Tit. describat ordine aliquo peragat. In fine vero capitis tertii ad Timotheum ipsum se convertentem, plane sine ordine tractare res, adjecta fortasse v. 16 confessione ecclesiastica, nec melius agere in quarto capite, ubi primum de falsis doctoribus iterum loquatur, sed quum praesentis et futuri temporis falsos doctores permisceat scriptor, tam indistincte et incomposite scribere eum, ut Paulus haec scribere omnino non potuerit; reliquam capitis partem ex Tit. II, 10 sqq., II. Tim. III, 10, 14, IV, 2, 5 compilatam esse. In quinto capite sua maxime proponere scriptorem et agere de Timothei praeceptis, de viduis, iterum de Timotheo, tum de presbyteris; sexto denique capite fere omnia confusa esse et agi de servis, de falsis doctoribus eorumque avaritia, de pietate et frugalitate, de Timotheo cohortando ad praedicandum evangelium, quod Christus morte a Pilato affectus nobis nunciaverit et Deus omnipotens aliquando per totum orbem terrarum sparsurus sit, de divitibus, denique de Timotheo, quomodo se gerere debeat. Sententiae singulae, quas Schleiermacher reprehendit utque a Pauli doctrina alienas notat, hae sunt: de lege mosaica in malos tantum lata (I, 8), de Pauli vita quomodo describatur (I, 11 sqq. coll. Gal. I, 13—15 et Philip. III, 6), de primo peccato ab Eva commisso (II, 14 coll. Rom. V, 12), de feminis ad pariendos liberos destinatis et hac re salute donandis (II, 15 coll. I. Cor. VII, de Christi nomine μεσίτης, quo Paulum usum esse negat (II, 5, coll. Gal. III, 19); aliae secundo hujus opusculi capite referendae sunt. Propter omnes has causas, et quod tam multa compilationis signa praebeat epistola, et quod a fine proposito et declarato aberret, et quod recto Pauloque digno argumento sententiarumque nexu careat, et quod multis locis ab ejus doctrina recedat, concludit Schleiermacher, epistolam esse a Pauli discipulo quodam compilatam et editam; rationes vero, locum et tempus, quibus hoc factam sit, accuratius definire non audet.

2. Eichhorn secundum eam quam animo concepit sententiam, nostram epistolam eum in modum ortam esse contendit, ut aliquis Pauli discipulus, qui pastorales epistolas conscripsit, ad colligendas et conservandas Pauli de ecclesiae constitutione sententias primum epistolam ad Titum minoribus ecclesiis simplici constitutione utentibus idoneam ederet, deinde autem nostram, quam ad conditionem majorum ecclesiarum, plu-

ribus magistratibus ecclesiasticis jam egentium conformasset. Qua de causa constitutionem ecclesiae in nostra epistola perfectiorem jam videri, quum non solum presbyterorum, ut in ep. ad Tit. sed etiam episcopi, presbyterorum principis, diaconorum et diaconissarum, viduarum pauperum curandarum, atque presbyterorum pecunia donandorum facta sit mentio. Epistolam negligentius quidem conscriptam esse, sed nihil continere quod a Pauli genio et doctrina abhorreat.

3. De Wette in enarrando epistolae argumento Schleiermacherum secutus, nec consilio quo scripta esse dicatur respondere illam, nec praebere claram et distinctam imaginem istorum hominum contra quos pugnet, contendit. Etiam aliis argumentis Schleiermacheri assentitur, sed addit, partim cohortationes, quibus Paulus Timotheum compellat, Timotheo esse indignas, ut ab aqua abstineat, vinumque bibat, ut a nemine contemnatur propter adolescentiam, partim citari I. Tim. V, 18 locum Luc. X, 7, ut ex scripto evangelio allatum, quod Pauli tempore fieri nequiverit. Ceterum et hic sicut Schleiermacher ostendere tantum studet, a Paulo non scribi potuisse epistolam, verum a quo, quando et qua de causa composita sit non definit.

4. Schott nihil a Pauli genio et aevo alienum epistolis inesse contendit, nam quamvis nostra epistola abruptior appareat, tamen nexum sententiarum facile ubique inveniri, finem perspicue elucere, quod saepius falsorum doctorum mentionem injiciat, atque hos satis clare esse significatos, ut Timotheus scire posset, contra quos pugnandum esset, multa denique familiaritatis signa inter Paulum et Timotheum reperiri. Sententiam de lege mosaica (I, 8) consentire cum locis Rom. VII, 12 et Gal. III, 24 et prorsus paulinam esse, sententiam de feminis ad liberos pariendos destinatis facile cum I. Cor. VII, 25 conciliari atque hic optimo jure proponi contra falsos doctores matrimonii contemptores, Christo nomen μεσίτης inditum ad Pauli christologiam esse aptissimum et ea de causa esse appositum, quia falsi doctores contenderint, non Christum, sed angelos mediatores inter Deum hominesque exstitisse. Quamvis autem nihil a Pauli genio et aevo alienum in epistola insit, tamen eam Paulo ipsi attribui non posse, quia in dictione multis modis a Pauli stylo aberret, sicut aliae epistolae pastorales; maxime igitur probabile esse, illas esse conscriptas a discipulo, a quo Paulus, indicato, de quo agendum fuerit, principali argumento, tempore deficiente epistolas scribendas curaverit. Qua de causa falsam esse Schleiermacheri opinionem, quia locus I, 20 non necessario ex II. Tim. II, 17 et IV, 14 compilatus putandus sit, quia in I. Tim. eaedem res, nec tamen male intellectae et falso relatae ex II. Tim. et Tit. legantur, quia I. Tim. non descripta sit ex aliis, sed simi-

les res necessario similibus verbis enarret, quia denique nulla causa talis compilationis et suppositionis inveniri et nullo modo cogitari possit, qua ratione scriptor tot res peculiares noverit et retulerit et tam feliciter Pauli stylum et sententias imitatus sit. Sua vero sententia Schott omnes difficultates amoveri arbitratur.

5. Qua tamen minime contentus Baur haereticos et falsos doctores nostra epistola commemoratos prorsus diversos esse ab iis contendit, quos Paulus in epistolis sine dubio genuinis impugnet, quum hi apostolicam tantum Pauli auctoritatem in dubium vocaverint et minuere studuerint, illi autem non Pauli auctoritati sed totius ecclesiae fidei et confessioni adversati sint. Ex quo apparere, haereticos eosdem esse atque Gnosticos secundi saeculi maxime Marcionitas; quam rem multis singulis locis confirmari. Nam γενεαλογίας ἀπεράντους (I, 4) nihil aliud esse, quam aeonum series, infinitas a Gnosticis excogitatas, νομοδιδασκάλους (I, 7) ut ex ironice apposito ϑέλοντες εἶναι appareat, non Judaeorum legis peritos, sed Marcionitas esse, qui legis mosaicae auctoritatem omnino spreverint, denique ἀντιϑέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως (VI, 20) aperte ad opus illud Marcionis spectare, quod quasi symbolum Marcionitarum fuerit, et aliam nullam prorsus relationem statui posse nisi omnes historicae disquisitionis leges violarentur. Porro quod omnibus hominibus salutem per Christum impertiri summopere urgeatur et doctores falsi, qui matrimonium inire et cibis quibusdam frui vetent, vehementer reprehendantur (IV, 3), ad Gnosticorum tantum doctrinam, his sententiis repugnantem, referri posse, atque contra eosdem directam esse sententiam de feminis, quae a docendo abstinere et nubere debeant (II, 13 sqq.), quod gnostici illi negaverint. Quod religio christiana verbo εὐσεβεία, apud Paulum insolito, nec verbo πίστις significetur, quod contra διδασκαλίαν δαιμονίων pugnetur (IV, 1), quod ex scripto jam evangelio Lucae versus citetur (V, 18), indubia esse serioris temporis signa; locum denique I, 20, non solum contra nostram epistolam sed etiam contra II. Tim. esse et monstrare quomodo epistolae sensim sint compositae alteraque ex altera compilata. Attamen non omni nexu sententiarum carere nostram epistolam, sed primum respectu ad Pauli vitam habito, omnes deinceps hominum ordines respicere et de omnibus praecipere aliqua, de Caesare et magistratibus, ut preces fundantur pro iis, de viris et feminis, quomodo se gerere debeant, tum ab humanis in universum ad ecclesiastica transgredientem de episcopis et diaconis, quales esse debeant, tum ad haereticos redeuntem Timotheo mandare, quomodo agat cum senioribus et junioribus, cum viduis et virginibus, cum presbyteris et rebus ecclesiasticis; hisce ordinibus pertractatis venire epi-

stolam ad infimum servorum ordinem et addere quaedam de haereticis, de divitibus et de Timotheo ipso. Sic epistolam a summo ad infimum descendere ordinem et hac primaria sententia omnia recte conjungi, ut Schleiermacheri opinio sine dubio falsa sit. Ex omnibus vero, quae praebet epistola, indiciis Baur colligit sententiam, nostram epistolam sicut alias epistolas pastorales a Pauli quodam discipulo medio fere secundo saeculo compositas editasque esse ad sedandas discordias, quae in Romana ecclesia inter Judaeochristianos et Marcionitas exortae erant. Id enim agere auctorem, ut utriusque partis vitia et aberrationes a doctrina vere christiana reprehendat et hoc modo reconciliare et in unitatem ecclesiae utrosque redigere studeat. Quo consilio v. c. contra Judaeochristianos contendere et premere, omnibus hominibus salutem per Christum impertiri, contra gnosticos vero multa alia, in quibus a religione christiana aberraverint, partem autem inter hos adversarios mediam, i. e. suam partem, Pauli sectatores hortari illum, ut ecclesiam firment et conservent et bona constitutione et tuenda doctrinae traditae puritate, hisque rebus paulatim et Judaeochristianos et Marcionitas ad se trahant et ecclesiae concordiam restituant. Haec praecipi epistolae argumento, quae de illis rebus agat et ultima, quum jam II. Tim. et Tit. simili consilio editae sint, ex his duabus compilata et multis locis aucta consilioque auctoris accommodata sit. Hac sua sententia demum omnes difficultates et dubitationes solvi et amoveri Baur contendit, quum tempori et conditioni ecclesiae omnino respondeat, quamcunque aliam vero rursus in difficultates inextricabiles necessario esse incursuram.

6. Credner simpliciter Schleiermachero adsentiens esse incomptam et inordinatam epistolam, multis locis a Pauli doctrina recedentem, ideoque Paulo indignam et abjudicandam contendit, sed causas et tempus modumque originis illius accuratius non examinat.

7. Neudecker dicit epistolam fine primario carere et ab illo quem prae se ferat mox aberrare ad res plane alienas, ut nulla sententia primaria inveniatur, quae totam epistolam regat, et multae res in ea exponantur non bene compositae nec rite pertractatae, quod quum nostrae epistolae sit proprium, ab indole vero aliarum Pauli epistolarum alienissimum, recte dubitari, an nostra epistola vere paulina sit. Quum autem ad hanc dubitationis causam indistinctus et incertus de falsis doctoribus aliisque rebus loquendi modus accedat, qui apud Paulum nusquam inveniatur, nostram epistolam non pro vere paulina habendam, sed Schleiermacheri judicio assentiendum esse.

Ex comparatione sententiarum de epistolae argumento et origine, quas retuli, statim apparet, in tria genera illas esse dividendas, quorum

primo accensenda sit ea, quam Baur tueatur, secundo, quam Eichhorn, Schott et omnes epistolae defensores sequantur, tertio denique, quam Schleiermacher, de Wette, Credner, Neudecker, alii proposuerint. Quae quum ordine quem modo constitui, mihi sint pertractandae, primum de Baurii sententia judicium uberius exponendum et confirmandum est. Ac primum quidem distinctionem, quam inter nostrae et aliarum Pauli epistolarum falsos doctores interesse ille contendit, ego agnoscere non possum, quia si quis auctoritatem Pauli apostolicam impugnaverit, necessario illius docentis auctoritatem impugnare debuit, itaque etiam doctrinam illius et fidem ecclesiarum, quae hanc doctrinam sequerentur; utrumque tam arcte cohaeret, ut separari nequeat, et si epistolas ad Corinthios et Galatas perlegimus, ibi apostolus non solum auctoritatem suam, sed etiam doctrinae suae veritatem simili studio contra adversarios defendit. Hoc modo quum fundamentum, quo tota Baurii sententia nixa est, ut falsum irritumque eversum sit, etiam interpretatio locorum, quos ad illam confirmandam attulit, falsa et perversa reperietur. Genealogiae enim infinitae eodem jure ad Judaeorum genealogias, quam ad Gnosticorum aeonum series referri possunt, et si ad gnosticas illas opiniones referrentur, nihil ex hac relatione sequeretur, nisi scriptorem locum illum epistolae ad Titum male intellexisse et ad sui temporis opiniones traxisse, serius igitur apostolo Paulo vixisse, non tamen medio secundo saeculo, sed Joannis apostoli tempore, ubi opiniones istae, quarum semina jam Paulo vivente Colossis apparuerunt, magna incrementa ceperunt. Quos v. 8. commemorat νομοδιδασκάλους de legis adversariis explicare nemini fere in mentem venit, quum sequentia verba καλὸς ὁ νόμος κ. τ. λ. non ad legis adversarios spectare possent, sed ad judaicos legis peritos, qui eam etiam Christianis prorsus obtrudere vellent, quod ex usu legis verbis ἐάν — νομίμως χρῆται clarissime elucet. Denique verba ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως minime de opere isto Marcionis intelligenda esse, jam ex eo videri licet, quod Paulus, qui veram gnosin novit (I. Cor. VIII, 1; XIII, 8.) etiam falsam novisse debet et quod omnibus historicae disquisitionis legibus contradicit, iisdem verbis eandem semper tribuere notionem. Debuit igitur Baur primum aliunde demonstrare, nostram epistolam Marcionis tempore et contra eum esse scriptam, si hoc argumentum ex illis verbis petitum rectum et grave esse voluit; quod quum non fecerit, etiam argumentum stare non potest. Sed neque ex sententiis, quas epistola exhibet de salute per Christum omnibus impertienda, de falsis doctoribus, de feminis, de religione christiana, recte effici mihi posse videtur, tanto temporis spatio post Pauli mortem elapso eam esse conscriptam et illa praecepta necessaria ad Gnosticorum

opiniones esse referenda. Quod autem ex I. Tim. I, 20 concludit, omnes epistolas pastorales esse suppositas alteramque ex altera compilatam, ex sequentibus, quae satis ut spero authentiam II. Tim. et Tit. defendent, falsum esse apparebit. Nexus denique sententiarum, quem Baur in epistola invenisse sibi visus est, magis cum more et cupidine, quo Baur cuncta secundum ideam animo innatam construere solet, quam cum veritate consentire mihi videtur; nam ut unum tantum afferam, si scriptor illa idea ductus epistolam revera concepisset, nullo modo divitum post servos mentionem fecisset, nec de hominibus diversas aetates agentibus, quod sine dubio conditio in universum humana est et secundum Baurii sententiam secundo capite tractandum fuit, quinto demum capite verba fecisset. Quum igitur nec haeretici nec argumentum, nec nexus sententiarum, quos Baur in epistola invenisse sibi visus est, revera ibi inveniantur, etiam rationem, qua epistolam ortam esse putat, veram esse negandum est, et quamvis speciosissime et acutissime suam sententiam commendaverit et confirmare studuerit, alio tamen modo epistolae origo explicanda est, si Paulo revera est abjudicanda.

Sed quanquam hanc Baurii sententiam plane improbo, tamen nec in contrarias, quas Schott aliique tenent partes ire possum. Primum enim mira atque incredibilis videtur ratio, qua Schott epistolae originem explicat; nam si Paulo tempus esset, discipulo, quae scriberet, mandare et exponere certo etiam satis temporis habuit, ut, quod solebat, dictaret epistolam; utrumque eodem fere tempore fieri potuit. Deinde vero concedere nequeo, nexum sententiarum ubique facile inveniri, et finem epistolae perspicue ob oculos positum esse, et falsos doctores clare notatos esse, et propter multa familiaritatis signa epistolam familiarem esse putandam; atque si largior, sententias de lege mosaica, et de Christo μεσίτης nominato non plane doctrinae paulinae contradicere, similesque earum in aliis Pauli epistolis reperiri, tamen negare non possum, et in sententia de lege mosaica et maxime in sententia de feminis inesse aliquid, quod apud Paulum alias non inveniatur, praesertim quum reputem, agi in illo loco non de Christianis qui rectum legis usum noverunt sed de Judaeis, qui legem mosaicam etiam Christianis injungere voluerunt, itaque primariae Pauli de religione christiana sententiae adversarii et inimici fuerunt, et apostolum I. Cor. VII, 25 plane contrariam de feminis tulisse sententiam, brevi igitur tempore de eadem re sententias plane contrarias dixisse. Sic et Rom. V, 12 cum I. Tim. II, 13 aperte pugnat. Neque hoc concedere possum, in epistola nostra res plane easdem atque in II. Tim. et Tit. exponi, sed multis locis quamvis eadem verba, tamen immutatas sententias refert, et locum I. Tim. I, 20 equidem

aliter explicare non possum, quam ut Schleiermachero assentiar. Atque quum utraque sententia et Baurii et Schottii multis prematur difficultatibus, et argumentis superstructa sit, quae accuratius spectata pro veris haberi non possint, relinquitur tertia, cujus auctor Schleiermacher est, qui, ut supra exposui, contendit, epistolam nostram nec respondere consilio, quod prae se ferat, nec debito ordine tractare res, nec satis clare et distincte praecipere, quae facienda sint et qui doctores falsi impugnandi, nec immunem esse a sententiis, a Pauli doctrina quodammodo certe dissentientibus, et propter omnes has causas a paulinarum epistolarum indole aliquatenus recedere, et propter affinitatem similitudinemque et sententiarum et verborum cum epistolis ad Tit. et II. ad Tim., ex illis duabus compilatam putandam esse. Quae quum sententia difficultates, quas nec Baur nec Schott negare neque tamen explicare potuerunt; optime explicet et amoveat, haud temere facere mihi videor, si illi assentior et cum Schleiermachero epistolam Paulo ipsi attribuere summopere dubito. In singulis quidem non ubique Schleiermacheri sententias tneor, sed nonnullis locis illum, ductum fortasse, quam animo conceperat sententia nimio pressisse et falso accusasse epistolae scriptorem concedo, quae tamen quum mere sint exegetica hic recte praetermitti arbitror, in fine autem opusculi periculum faciam originis epistolae explicandae, quod hanc, quam hic proposui, sententiam, ut spero illustrabit atque confirmabit.

§. 2. Conamina originis posterioris ad Timotheum epistolae explicandae.

1. Eichhorn ex ea re epistolam nostram traxisse originem putat, quod, quum notum esset, Timotheum initio apud Paulum Romae non fuisse sed postea ei fuisse socium, et crederetur epistola quadam, quae tamen periisset, Romam vocatus esse, discipulus ille Pauli, qui epistolas ad Tit. et I. ad Tim. jam edidisset, adductus esset, ut illam perditam epistolam restitueret. Quapropter collegisse eum quaedam peculiaria de Timotheo et de Paulo captivo et de ecclesia ephesia et ex hisce omnibus composuisse nostram epistolam, non quidem arte et ordine conceptionis insignem, sed sinceri amoris plenam et Pauli affectiones, quibus morti proximus commoveretur, feliciter imitatam.

2. De Wette in universum epistolam consilio quod prae se ferat, respondere concedit, quum apostolus sui negligens, totus vero apostolici muneris cura impletus, primum exponat, quae Timotheus facere debeat, ut apostolico officio satisfaciat, et quomodo hoc assequatur multa praecipiat et admoneat, atque his pertractatis Timotheum ut ad se veniat invitet variisque mandatis impertiat. Sed singulis sententiis saepenumero

offenditur, quod falsi doctores non satis distincte notentur (II, 14 sqq.) quin etiam falsi doctores et praesentis et futuri temporis confundantur (III, 1 sqq., IV, 3 sq.) sicut in I. Tim. quod Paulus immodestum de se judicium ferat (IV, 7 sq. coll. Phil. III, 12), quod Timotheus immodice et inepte admoneatur (I, 13 sq., II, 1, 7 sqq., 15, 22; III, 14; IV, 1.), quod haud apte matris et aviae jam seniore Timotheo mentio fiat (I, 5), atque ex his causis dubitandum esse dicit, an Paulus ipse vere sit auctor epistolae.

3. Schott in epistola nostra nihil inesse dicit, quod justam suspicionem movere possit.

4. Baur contra, quamvis et ille confiteatur, epistolam sinceri et caritatis multa et praeclara signa exhibere, tamen a Paulo ipso conscribi illam non potuisse contendit, quum in tanto mortis periculo epistolas scripsisse et socios ad se vocasse Paulum haudquaquam verisimile sit, et exspectationem mortis constantiamque animi consulto ostentatam, magis alium qui apostolo mortuo haec scripserit, quam apostolum ipsum indicare. Deinde matrem et aviam Timothei, ipso jam provectiore aetate, commemorari, non aptum esse, et compositionem Timothei cum milite (II, 3), commemorationem narrationis apocryphae de Janne et Jambre Aegyptiis (III, 3), et Lini, qui primus post Petrum Romae episcopus fuisse dicitur (IV, 21), signa esse, epistolam eo tempore scriptam esse, ubi Ignatius, Polycarpus aliique patres apostolici hac scribendi ratione uti solerent. Denique verba *εὐαγγέλιόν μου* (II, 7) aperte scriptum Lucae evangelium commonstrare.

5. Credner ut supra pag. 21 sq. exposui epistolam in duas dividit et utramque postea additamentis auctam esse contendit, quibus ejectis duae genuinae Pauli epistolae relinquantur, ab eo diversis temporibus ad Timotheum Romam arcessendum conscriptae.

6. Neudecker primum dicit, Paulum, qui se epistolae scriptorem nominet, praemissa salute apostolica Timotheo amorem intimum testificatum, adhortari ad evangelium constanter praedicandum, deinde ut a quaestionibus irritis vanisque et a falsis doctoribus eorumque pravitate caveat, repetita denique adhortatione Timotheum variis mandatis impertitum ad se vocare; sed hoc argumentum epistolae consilio, quo scripta esse velit, non respondere contendit, nec ea ratione, quam de Wette proposuerit hanc suspicionis causam tolli, quae nostrae epistolae sicut prioris ad Timotheum sit propria, quum secundum argumentum epistolae, ut maneat ubi tunc fuerit seduloque praedicandi officio fungatur, Timotheum Paulus hortari debuerit, at non ad se vocare. Rejecta deinde Credneri sententia, compilatam suppositamque epistolam esse contendit.

Ante omnia in considerandis hisce sententiis tenendum est, quod

jam supra monui, epistolam nostram prorsus esse familiarem, quod omnes etiam adversarii concedere coacti sunt. Ex qua re omnia, quae contra eam protulerint, facile explicari mihi videntur. Quum enim familiaris epistolae ea sit natura, ut tota in testificando amore et amicitia versetur, multo vero minus in docendum hortandumque incumbat, sine dubio multa peculiaria commemorare et nonnulla non tam accurate et distincte describere, quam alias, ubi docendo intentus est, assolet, apostolus in nostra epistola potuit. Ex quo sequitur, non recte contra epistolam proferri, quae de Wette et Baur de falsis doctoribus et de matre et avia Timothei dixerint, simul tamen apostolum morti proximum de vita et rebus gestis liberius loqui et Timotheum amicissimum impensius hortari et etiam de parvis rebus monere sine ullo incommodo potuisse. Ostentata vero constantia et mortis exspectatio in epistola non reperitur, sed tantum magnus et fortis Pauli animus etiam imminente morte inconcussus, qui inde maxime elucet, quod in tanto periculo non se ipsum curat, sed Timotheum potius hortatur, ut constans et fidelis in praedicando evangelio permaneat. De hoc studio et ardore propagandae religionis christianae, cujus omnis vita et mors apostoli egregia sunt testimonia, amicissimo loqui eumque imitandum proponere, non est ostentatio. Verba denique εὐαγγέλιόν μου non ad scriptum evangelium Lucae sed ad praedicatum Pauli sunt referenda, et Baur tum demum jure ex his verbis suspicionem movere posset, si sententia sua de origine epistolarum melius, quam est, firmata et veritati conformata esset. Eichhornii oppositionem de male collectis historicis de Paulo Timotheo et ecclesia ephesia traditionibus jam supra rejeci, quum de tempore ubi scripta esset epistola agerem, restat igitur, ut demonstrato nexu et ordine sententiarum epistolae, illum et Crednerum et Neudeckerum refutem. Hic primum monendum est, inter locos IV, 6—8 et 15—18 non esse, ut Credner putat, contradictionem, quum v. 6—8. apostolus sibi mortem instare dicat, 15—18 autem in prima actione se non statim capitis damnatum esse, quamvis solus ipse sui defensor fuerit, tum vero prooemium duplex et duplex invitatio et duplex epilogus non revera adsunt, ut Credner censuit, sed repetita tantum est invitatio propter summum Pauli Timotheum videndi desiderium, prooemium autem et epilogus male in duas partes divisi sunt. Quibus monitis ad enarrandum argumentum ipsum transeo. Apostolus discipulo amicissimo valedicturus, ne sua morte, quam pro evangelio passurus sit, timidus fiat, et a praedicando evangelio desistat, summo studio hortatur Timotheum, ut fidelem servum et militem Christi se praebeat, neve, ut alii fecerint, officium turpiter deserat, at non solum mortis periculum fortiter spernat, sed etiam a falsorum docto-

rum erroribus vanisque quaestionibus et dubitationibus fidem suam defendat et conservet. Necesse enim esse, ecclesia quum augeatur, malos quoque et perversos homines in se suscipiat, quorum perversitas futuro tempore etiam magis increscat, sed strenue eam esse oppugnandam et reprimendam nec impetum eorum timendum et fugiendum esse. Hoc modo ubi monuit et confirmavit Timotheum, ut ad se veniret orat Paulus, qui non solum hortari discipulum, sed etiam ad se vocare et ejus societate frui voluit. — Si ita epistolam consideraveris, nequaquam a consilio aberrasse eam et aliena retulisse dices, sed optime consentire cum Pauli indole animique affectionibus, quibus tunc commovendus fuit; falsa igitur et permira Eichhornii sententia est, qui epistolam tam fidelem Pauli morituri imaginem tam otiose confictam esse putat, falsa et Credneri et Neudeckeri accusatio est, male epistolam consilio respondere et proposita persequi, verum illa praeclarum est testimonium et magnae fortitudinis, et sinceri amoris erga familiarem Timotheum, et summi ad evangelium praedicandum studii et ardoris, quod Paulus ultimis fortasse vitae diebus nobis reliquit.

§. 3. Conamina epistolae ad Titum originis explicandae.

1. Eichhorn, nostram epistolam eum in finem compositam esse contendit, ut Pauli doctrinam, de ecclesiae constitutione, quae minoribus et simplici constitutione utentibus ecclesiis idonea esset, colligeret et exponeret. Loqui igitur scriptorem de presbyteris et aliis Christianis secundum aetatem et ordinem ad quos pertineant, tum de servis, de peregrinis et de magistratibus denique de Tito et de haereticis et describere officia, quae unicuique imposita sint, additis rationibus, cur iis fungi debeant. Concedit scriptorem optime imitatum esse et doctrinam et genus dicendi paulinum, quamvis nonnulla haud apta immixta sint, ut verbum ἔλεος in salute apostolica et Zenas et Artemas, qui prorsus ignoti et vix Pauli socii putandi sint.

2. De Wette et Baur nil objiciunt nisi locum I, 12, ubi Paulus Epimenidem prophetam nominaverit et de Cretensibus severum pronunciarit et iniquum judicium, quum versum Epimenidis afferat et verum esse illud effatum affirmet; hoc vero pugnare partim cum more Pauli, quo utatur verbo προφήτης, partim cum prudentia et sapientia, quae eum prohibere debuerit, quominus tam severam de Cretensibus ei vix notis sententiam tulerit.

3. Credner in epistola tantum prooemium vituperat, quum familiari epistolae, qualis nostra sit, non sit idoneum, sed postea additamentis auctum, ut epistola non tam familiaris quam ad Titum mandatis et

praeceptis instruendum scripta esse videatur et hoc modo latius vulgata aliis epistolis pastoralibus ad demonstrandam authentiam propter similitudinem qua iis juncta sit inserviat.

Quum argumenta, quibus adversarii contra genuinam nostrae epistolae originem usi sunt, maxime ex difficultate constituendi quo scripta sit temporis petita sint et, ut spero, supra refutata sint, pauca quae contra argumentum protulerunt, facile refellentur. Nam quod Epimenidi prophetae nomen inditum est propter affinitatem qua poetae et prophetae inprimis apud veteres juncti fuerunt, nihil habet offendiculi et quum ad Titum solum data sit epistola acerbum quod de Cretensibus tulit apostolus judicium, minime prudentiae, qua in docendo usus est, contradicit, quin immo magnum ejus est documentum, quippe quo Titum prorsus de natura et indole hominum, quibuscum ei agendum esset, edocuit Paulus. Deinde epistola nostra non solum imitatur Paulum, sed Pauli revera est, nec esse eam suppositam posteaque a discipulo quodam conscriptam probari potest ex apposito in salute verbo ἔλεος, nec ex commemoratis Zena et Artema, quorum alias mentio non facta est. Credneri denique objectio oriunda est ex falsa opinione, esse nostram epistolam familiarem, quum potius appareat, eo consilio esse exaratam, ut Titum in Creta presbyteros instituere et initiari juberet et quomodo in hac re agendum esset doceret. Hoc enim statim ab initio declarat apostolus et huic mandato cetera quae sequuntur praecepta annectit, et simul causam, cur haec praecipiat, Tito adhuc rudiori fortasse rei christianae, ob oculos ponit, et in fine tantum epistolae aliqua addit de sociis Tito mox mittendis et de iis quae perfecto in Creta negotio ei facienda sint, sed etiam haec eum in finem ut Titum instituat et edoceat, ita ut tota epistola in mandando et docendo versetur, at non in amore et familiaritate, quo Paulus Tito devinctus fuerit. Quem finem recte persequi epistolam omnes etiam adversarii concedunt, ut extra omnem dubitationem positum esse videatur, nostram epistolam vere esse paulinam.

Sic etiam ex secunda capitis parte efficitur, priorem ad Timotheum epistolam indoli et naturae epistolarum paulinarum non esse consentaneam et jure quaeri, quomodo orta sit, quanquam usque ad hoc tempus huic negotio nemo plane satisfecerit, posteriorem autem ad Timotheum et ad Titum Paulo abjudicari non posse, quum causae ab adversariis allatae minime sufficiant. Aucta igitur suspicione in I. Tim. venio nunc ad secundum caput, quo argumenta ex constitutione et institutis ecclesiae petita tractanda sunt, cui tamen, ut melius judicari possint, brevem descriptionem ecclesiae apostolicae, sicut pollicitus sum, praemittam.

CAPUT SECUNDUM.

DE ARGUMENTIS EX CONSTITUTIONE ECCLESIAE INSTITUTISQUE ECCLESIASTICIS PETITIS.

§. 1. De ecclesia apostolica.

In consideranda ecclesia apostolica, societate per fidem in Christum conjuncta et ad similitudinem synagogae judaicae constituta, quatuor maxime res spectandae sunt, munus presbyterorum, qui quasi senatus ecclesiasticus regebant ecclesiam, munus diaconorum, qui ministri ecclesiae curae pauperum et aegrotorum praeerant, disciplina atque ritus, quibus ecclesia utebatur. Primum quod ad presbyteros, qui nunc hebraico illo nunc graeco nomine episcoporum sine ullo discrimine appellabantur, attinet, scimus ex Actorum relatione, mox post festum pentecostes ecclesiae hierosolymitanae apostolos ipsos presbyteros praefuisse et omnibus ecclesiae rebus prospexisse, atque etiam postea apostolos Petrum et Joannem praecipue autem Jacobum, Jesu fratrem, ecclesiae hierosolymitanae praefectos invenimus (Act. XV). Dum autem Hierosolymis apostoli ipsi presbyterorum partibus fungebantur, in ecclesiis, quas Paulus in Asia Graeciaque condidit, necessario presbyteri ex eccesia ipsa eligendi et initiandi erant, sicut factum esse videmus a Paulo Act. XVI, 23, ut ubique antequam abiret consentiente et conscia ecclesia eligeret introduceretque presbyteros. Iis mandatum erat, ut regerent ecclesiam defenderentque ab omni falsa doctrina, ut improbos monerent et si in perversitate perstarent ex societate excluderent (I. Cor. V.) denique ut hortando et docendo in omnibus ordinem et decus servarent et essent quasi ecclesiae pastores, qui omne malum a grege iis demandato diligenter arcerent (Act. XX, 18 sqq.). Stipendium iis impertitum esse, nusquam memoratur, sed hortatur tantum Paulus Galatas, ut edoctus de evangelio docenti omnia bona impertiat (Gal. V, 6). Ab initio presbyteri soli magistratus in ecclesia erant atque etiam curae pauperum et aegrotorum praeerant; sed quum incresceret ecclesia multisque ex hac causa ortis

negotiis distinerentur apostoli et a praedicando verbo divino prohiberentur, placuit illis, ut alium ecclesiae magistratum crearent, ad quem cura pauperum et aegrotorum deferretur (Act. VI). In hunc finem convocata ecclesia septem diaconi electi sunt iisque cura pauperum et aegrotorum commissa est. Hoc quidem sine dubio praecipuum eorum erat officium; nam quanquam Stephanus, unus e diaconis, et docendo et praedicando evangelio multam operam dedit, et hac de re mortem perpessus est, tamen diaconi pauperum aegrotorumque curandorum causa electi sunt, et Stephanus ardore evangelii praedicandi agitatus, non ut diaconus sed ut christianus in illam rem incubuit et odio Judaeorum peremptus est. Itaque ut presbyteri docendo et regendo partes cleri qui postea exstitit, sic diaconi benefaciendo et serviendo laicorum partes in ecclesia expleverunt, et utrique in omnibus ecclesiis reperiuntur, ut Paulus Philp. I, 1 simul eos nominet salutetque. Per se quidem patet, presbyteros et diaconos ex piis tantum et bene auditis esse electos, sed ab aevo apostolico omnis praecipuae sanctitatis postulatio, ecclesiae magistratibus injuncta, quales postea ab ecclesia catholica inventae sunt, prorsus aliena est. Praeter diaconos autem etiam diaconissae fuerunt, quod Paulus Rom. XVI, 1 testatur, ubi Phoeben τὴν διάκονον τῆς ἐκκλησίας commemorat, quae feminis, ad quas viris Graecorum et Asiaticorum more accedere non licebat, sublevandis prospiciebant. De disciplina, qua ecclesia apostolica utebatur, tantum monendum est, homines aperte scelestos et facinorosos ex ea esse ejectos, quae tamen ejectio non nisi rarissime et horrenda quadam gravitate fiebat, ut I. Cor. V. luculenter ostendit. Ritus denique simplicissimi erant: qui in ecclesiam recipiendi erant confessione se in Jesum Christum credere dicta baptismatis participes facti impositis manibus consecrabantur (Act. VIII, 36 sqq.; X, 44 sqq.; XIX, 5, 6). In concionibus ecclesiae quisque docendi charismate praeditus dicere et hortari potuit, prout afflatum se et agitatum a spiritu sancto sensit, sed ne haec libertas in effrenatam licentiam abiret, feminae ab orationibus publice habendis prohibitae sunt (I. Cor. XI, 5 sqq.) et postea opus fuit monere christianos, ne nimiae publice dicendi cupiditati indulgerent neve etiam ii, qui non idonei essent, vanitate se ad publice dicendum induci paterentur, quod epistola Jacobi manifesto declarat. Praeter conciones autem sacras in coetibus audiebantur maxime psalmorum cantus (Col. III, 16; Eph. V, 19) et preces fundebantur, et coena domini celebrabatur (Act. II.) et colligebantur eleemosynae, ut christiani et Deo laudando et fratribus amice adjuvandis simul studerent. An in concionibus locus aliquis V. T. praelectus sit et de hoc aut ad explicandum aut ad applicandum verba facta sint, non certo quidem

scimus, sed facile colligitur tum ex exemplo synagogae judaicae, tum ex more Pauli, quo doctrinam suam locis ex V. T. allatis firmabat, tum ex compositione complurium ecclesiarum, quae magna ex parte ex Judaeis vel proselytis constabant ideoque a more consueto non facile recedebant, tum denique ex summa utilitate, quae ecclesiis ex notitia V. T. et oeconomiae salutis redundabat. Ceterum nullae adhuc certae et definitae regulae ac leges, ad quas omnia exigerentur et praescriberentur, quae et quomodo essent facienda, nullus ordo ministrorum ecclesiasticorum; nec ullum discrimen cleri et laicorum, quale postea invenimus, nec presbyterorum nec diaconorum nec ecclesiae jura et officia accurate circumscripta et constituta erant, nec symbolum seu confessio proposita ab omnibus approbata, secundum quam doctrina et praedicatio evangelii institueretur atque errores haereticorum cognoscerentur et dijudicarentur, sed superstitibus adhuc et praesentibus apostolis, Jesu Christi ipsius sinceris testibus omnia libere et ut praesens postulavit necessitas agebantur, atque si dubia nesciaque erat aliqua ecclesia, quomodo aliquid faciendum esset, apostolos adiit et secundum eorum consilium et sententiam rem peregit (I. Cor. V, Act. XV.). In universum igitur procul dubio est, quo simplicior constitutio ecclesiae appareat, eo aptiorem esse ad aevum apostolicum, et quo accuratius de singulis rebus jam constitutum sit, eo magis tempus, quod aevum apostolicum insecutum sit, innui et significari. Posterioris autem temporis quantum scimus maxime haec sunt, discrimen inter episcopum et presbyteros interpositum, quo episcopus quasi princeps presbyterorum evadit, tum discrimen cleri docentis et laicorum docendorum magis magisque exortum, ex quo ordo ecclesiasticus aliquis factus concionique laicorum oppositus impositusque sit, atque a clericis postulata praecipua quaedam sanctitas, v. c. ut a secundis nuptiis abstineant, deinde institutum viduarum ecclesiasticarum h. e. virginum quae caelibes vitam degerint et diaconissarum partes expleverint, dum antea feminae natu majores his officiis functae sint, denique accuratior confessio et severior disciplina ad haereses nascentes cognoscendas et christianos ab defectu ecclesiae vitiisque arcendos. Iis expositis quaeremus, utrum constitutio et instituta ecclesiae, qualia nostris epistolis describantur ad aevum apostolicum, an ad tempus posterius apta et referenda sint.

§. 2. De constitutione ecclesiae.

Schleiermacher de constitutione ecclesiae in universum nihil dicit, et Schott nihil in epistolis inesse censet, quod a constitutione qualis Pauli tempore fuerit, abhorreat; contra Eichhorn et Baur cultiorem et longius

progressam videri constitutionem, quam aevo paulino idoneum sit, contendunt. Eichhorn profectus ab ea sententia, quam pag. 26 proposui, dicit, describi in epistola ad Titum simplicem constitutionem minoribus ecclesiis idoneam, in epistola autem priore ad Timotheum majoribus ecclesiis accommodatam ideoque magis compositam. Itaque in Tit. presbyteros tantum commemorari, in I. Tim. autem praeter illos episcopum presbyterorum principem, quod ex articulo apposito (III, 2.) appareat, et diaconos et diaconissas, stipendium presbyteris donandum, denique curam pauperum maxime viduarum. Simul elucere, institutum diaconissarum oriri primum coepisse, quum scriptor partim de uxoribus diaconorum, quae viros adjuvare debeant in munere loquatur, et quales esse debeant praecipiat, partim de diaconissis indefinite tantum et promiscue de pauperum cura verba faciat; ex tota epistola effici, omnia epistolae praescripta cum Pauli doctrina consentire quidem, quum quae nova protulerit scriptor ex aliis epistolis paulinis collegerit, sed addita esse, ut constitutionem ad majorum ecclesiarum statum et necessitates apte accommodaret.

Monstrare igitur totam epistolam ad serius tempus, ubi auctis ecclesiae necessitatibus aucto magistratuum et ministrorum numero satisfaciendum erat. Baur postquam ex singulis sententiis epistolarum conclusit, eas in haereticos esse directas eo maxime consilio scriptas esse dicit, ut haereticos coercerent et ab ecclesia defenderent, tum conservanda traditae ab apostolis doctrinae puritate, tum ecclesia bene constituenda. Exposito deinde secundum suam sententiam epistolarum argumento, constitutionem ecclesiae magnopere jam excultam et progressam in iis videri contendit, quae a statu ecclesiae apostolicae longe recedat. Paulum enim nusquam tanto studio de constitutione ecclesiae loqui, semel tantum episcopos et diaconos commemorare (Philp. I, 1) et ubi vitia corrigenda sint, semper totam ecclesiam cohortari, at non presbyteros ut ejus principes et praefectos, verum nostris epistolis summa potestate et auctoritate eos praeditos esse, iis omnem in ecclesia rerum gerendarum curam demandatam, iisque summum imperium delatum videri. Quin etiam distingui jam inter presbyteros et episcopos loco Tit. I, 5, nam quum ibi pluralis πρεσβυτέρους ad distributivum κατὰ πόλιν referendus sit, necessario effici, in unaquaque urbe unum tantum presbyterum electum esse, qui nomine episcopi usus, summum ecclesiae imperium teneret, hos omnes autem episcopos conjunctos presbyteros esse nominatos et toti ecclesiae ut dominos imperasse. Ab his porro officia postulari quae praecipuae sanctitatis testimonia sint, v. c. ut a secundis nuptiis abstineant; Tit. I, 6, enim a Schleiermachero plane arbitrarie et perverse ut contra polygamiam directum explicari, contra I. Tim. III, 2, V, 9 de deuterogamia

intelligi; omnes hos locos sine dubio contra deuterogamiam esse scriptos, quum polygamia uno tantum loco eoque polemico, Just. M. dial. c. Tryph. 14 commemoretur, maxime igitur dubium sit, an illo tempore revera inter Judaeos adfuerit, atque quum illa perversa explicatio oriunda fuerit ex Schleiermacheri sententia, ep. I. ad Tim. plane ab aliis esse diversam. Ex hisce vero rebus aperte sequi, epistolas diu post aevum apostolicum esse compositas, quia certum discrimen inter clerum et laicos ponant, quia inter presbyteros et episcopos distinguant, quia monarchicam regiminis ecclesiastici formam ostendant, quia denique deuterogamiam clero interdicant; haec omnia secundi saeculi at non apostolici esse propria, ut ex epistolis Ignatii et Tertulliani sententiis in libris ejus de pudicitia et de monogamia et ad uxorem, ex Hermae pastore II, 4, 4 aliisque scriptis illius temporis appareat. Simul tamen suam confirmari sententiam, Romae scriptas esse epistolas, quippe quae ecclesia satis mature hierarchicis studiis fuerit addicta. Uno quidem N. T. loco reperiri similem de munere presbyterorum sententiam a Paulo pronunciatam, in oratione, qua Ephesiis valedixerit (Act. XX, 18—35), sed illum non debere afferri pro testimonio, quia aperte a scriptore post eventum sit compositus. Sic omni dubitationi esse exemptum, nostras epistolas propter ecclesiae constitutionem quam ponant medio fere secundo saeculo esse conscriptas.

Quum in descriptione ecclesiae apostolicae ostenderim, constitutionem ejus fuisse eandem, quam Eichhorn nostris in epistolis inesse dicit, omnia habuisse instituta quae ille enumerat, hujus viri argumenta uberius refutanda non sunt excepto uno, quod ex stipendio presbyteris dato petit, quod tamen quum etiam Baur afferat, in recensendis illius opinionibus commemorabo. Contra Baurii autem sententias statim ab initio mihi pugnandum est. Ac primum quidem concedere non possum, locum Act. XX, 18—35 non esse genuinum, quum Paulus Eph. IV, 11 eodem de presbyteris verbo utatur. Argumentis vero, quae contra Actorum et epistolae ad Ephesios authentiam prolata sunt, adduci non possum, ut putem haec scripta non ab iis, quos prae se ferant, auctoribus esse composita, sed postea ab hominibus quibusdam conficta et supposita; quin immo ita de authentia illius Actorum loci mihi persuasum est, ut eo solo nixus tempus quo I. Tim. scripta sit rite definiri posse negaverim pag. 23, ergo minime Baurio assentiri possum, qui quidem omnimodo studet totam scripturam sacram destruere et praeter quatuor Pauli epistolas ad Rom. Cor. et Gal. falsam fictam suppositamque declarare. Nec minus aliis ejus sententiis adversor, nam presbyteri nostris epistolis iisdem officiis fungentes quibus in illis dictis vere paulinis videntur, et Paulus ea

tantum de causa non saepius commemoravit presbyteros aliosque ecclesiae ministros, quia non nisi in nostris epistolis fusius de constitutione ecclesiae locutus est, loci autem Act. XX, 18—35, Eph. IV, 11 sqq. Philp. I, 1 satis probant, Paulo optime presbyteros et diaconos eorumque munera innotuisse, nec eo vivente, quod Baur putare videtur, ecclesiam fuisse plane non constitutam incompositamque. Sunt igitur presbyteri apostolici aevi, quos in nostris epistolis habemus, nec ullum re accuratius spectata inter presbyteros et episcopos discrimen intercedit. Nam Baurii explicatio, quam ipse postea revocavit, loci Tit. I, 5 falsa est, quod I. Tim. IV, 14 presbyterii mentio fiat sine dubio de unius ecclesiae presbyteris intelligendi et quod κατὰ πόλιν minime ad πρεσβυτέρους sed ad καταστήσῃς referendum est, ut jam ex eadem verbi compositi praepositione elucet, denique quod τὸν ἐπίσκοπον non de uno cujusque ecclesiae episcopo, sed collective explicandum est, ut innumeris aliis locis, quo simul Eichhornii sententia refutatur. Quae contra Schleiermacherum protulit argumenta me non moverunt, ut a Schleiermacheri sententia recederem, quia locus ille Just. M. mihi satis probare videtur, polygamiam tunc inter Judaeos fuisse, quum Justinus eo consilio scriberet librum, ut Judaeos ad religionem christianam perduceret itaque nihil diligentius vitare deberet, quam ut injustis opprobriis eorum animos exacerbaret, atque quum satis verisimile sit, communem Asiaticorum morem etiam patriarchis regibusque celeberrimis usitatum apud Judaeos tunc non plane fuisse incognitum inauditumque. Schleiermacheri autem sententia de diversa I. Tim. natura disquisitionibus antecedentibus non refutata sed comprobata est et comprobabitur etiam sequentibus. In universum igitur Baurii accusatio falsa est et constitutio ecclesiae nostris epistolis descripta aevo apostolico aptissima, ut in universum locus dubitationi non sit; attamen duae res relinquuntur, quae a Baurio et Eichhornio ut ab aevo apostolico abhorrentes allatae sunt, deuterogamia presbyteris et diaconis interdicta et stipendium presbyteris impertitum. De quibus priusquam sententiam feram, accuratius de singulis institutis ecclesiae disserendum est; itaque ad recensenda singula instituta progredior, postquam monui, illa signa posterioris temporis, si revera in nostris epistolis reperiantur, non nisi contra I. Tim. proferri posse, quum in hac tantum epistola inveniantur.

§. 3. De singulis institutis.

a. De presbyteris.

Schleiermacher, cujus sententias hic maxime respiciam et exponam, quia accuratissime de his rebus disseruit eique longe plurimi praeter

Schottium et Baurium assensi sunt, quatuor rebus in descriptione presbyterorum obviis offenditur, primum quod dicatur, homines munus episcopi assequi studere (I. Tim. III, 1), tum quod homo νεόφυτος, recenter igitur fidei et ecclesiae christianae addictus a munere presbyteri excludatur (III, 6), ne inflatus superbia in peccata incidat, deinde quod episcopi a secundis nuptiis prohibeantur (III, 2), denique quod presbyteri Timotheum impositis manibus consecrasse et charisma impertivisse dicantur (IV, 14). Namque primum tale studium muneris presbyteri assequendi non tam aevo apostolico conveniens videri, ubi presbyteri simpliciter ab apostolis aut ab eorum sociis electi sint, quam seriori tempori, ubi presbyteri seu episcopi magno honore et dignitate ornati sint et ea de causa munus illud quasi ecclesiae imperium expetitum sit. Praescriptum, quod vetet, hominem recenter in ecclesiam receptum muneri episcopi praefici, in ecclesiis recenter fundatis, quales tempore, quo epistola scripta esse dicatur, omnes fuerint, plane vanum fuisse et inutile et propter additam causam ad serius tempus monstrare. Idem valere de tertio praecepto, ut presbyteri a secundis nuptiis abstineant; loco enim I. Tim. V, 9 de diaconissis usurpatam esse dictionem γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή, quae, quum relatio ad scortationem sine dubio rejicienda sit, non aliter explicari possit, quam ut diaconissis imperetur, ne nuptias secundas ineant, loco autem I. Tim. III, 2 a presbyteris postulari, ut sint μιᾶς γυναικὸς ἄνδρες, itaque idem atque diaconissis injungi, ut a nuptiis secundis abstineant, prorsus enim esse non verisimile nec posse cogitari, eandem dictionem ab uno eodemque scriptore de eadem re non eodem sensu usurpatam esse. Hoc modo extra dubitationem esse positum, presbyteros a secundis nuptiis arceri; hanc vero legem a Pauli genio et doctrina plane esse alienam certumque posterioris temporis signum. Contra Tit. I, 6 loqui Paulum de polygamia, tum Judaeis, quorum multi etiam in Creta fuerint, usitata, quod quidem non certo scimus, ex rationibus vero supra allatis conjicere possumus, sed presbyteris vitanda et indecora, ex quo loco quum scriptor I. Tim. praescriptum illud desumpserit, sed ut locus V, 9 ostendat male intellectum et ad sui temporis mores detortum, novum esse documentum, I. Tim. esse compilatam. Ad officium presbyterorum IV, 14 memoratum quod attineat, hoc primum pugnare cum II. Tim. I, 6, ubi Paulus solus Timotheo manus imposuisse et charisma impertivisse dicatur, tum autem etiam cum Constit. Clem. VIII, 16 ubi presbyteri ab episcopis consecrati esse praesentibus quidem sed non cooperantibus caeteris presbyteris dicantur, qua de re mos ille l. l. commemoratus non late in ecclesia vulgatus putandus sit. Loco V, 17 Schleiermacher διπλῆν τιμήν non de duplici stipendio presbyteris mu-

nere bene fungentibus impertiendo, sed de majore honore, quo afficiendi sint explicat.

Baur in omnibus aliis Schleiermachero assentiens διπλῆν τιμὴν de stipendio presbyterorum intelligit et similem dictionem legemque in Constit. apost. II, 28 et III, 20 obviam ad confirmandam suam interpretationem affert; alia quae de presbyteris maxime ex Tit. I, 6 petita dixit et contra hanc epistolam protulit jam enarravi et ut spero refutavi.

Duo priora argumenta, quibus Schleiermacher serioris temporis signa inesse arbitratus est, haud ita magni faciam, sed facile fieri potuit, ut aliquis qui se dignum munere episcopi existimaret et ad bene id administrandum aptum fortasse bene regendae et hac re augendae ecclesiae laudabili studio incensus, munere illo potiri studeret, et largiendum esse defensoribus I. Tim. censeo, verbo νεόφυτος diversam secundum diversa tempora, ubi adhibitum est, notionem inesse eoque significari posse etiam hominem, qui quamvis jam aliquamdiu eccclesiae adscriptus tamen nondum plane notitia religiones christianae imbutus esset, hoc igitur praecepto id voluisse apostolum, ut tantum peritissimus quisque religionis christianae, quantum brevi tempore fieri posset, muneri presbyteri praeficeretur. Majoris contra momenti sunt, quae tertio et quarto loco attulit et concedendum hic esse arbitror, in iis officiis, quae illis praeceptis injungantur episcopis inesse aliquid, quod ab aevo apostolico abhorreat. Nam si concedimus, quod me quidem judice concedere necesse est, dictiones ἑνὸς ἀνδρὸς γυνὴ et μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ supra allatas ad unam eandemque rem spectare, atque si porro concedimus, illas ad adulterium et scortationem referri non posse, quum Paulus et tota scriptura sacra ad has res turpes notandas semper verba perspicua et clara μοιχεία et πορνεία adhibeat neque tantis ambagibus rem quasi obducat, sine dubio ex l. l. efficitur, deuterogamiam vetari, quam quidem seriore tempore interdictam invenimus, quasi gradum a quo ad caelibatum progressa est ecclesia, sed nullo loco N. T. Contradicitur igitur hoc praecepto libertati, qua magistratus ecclesiastici apostolico aevo fruebantur. Ritus, qui IV, 14 memoratur, quo etiam presbyteri manus imposuerint, per se quidem facile adhiberi potuit, sed quum Pauli verbis II. Tim. I, 6 adversetur et hac re contradictionem non amovendam inter I. et II. Tim. ponat, negari non potest, eum magnam causam dubitationis praebere. Simul tamen hac expositione sententia, quam supra contra Baurium tuli, confirmatur, his serioris temporis signis nonnisi I. Tim. in suspicionem vocari. At in explicatione loci V, 17 contra Schleiermacherum Baurio adstipulor et ibi de majore bonis presbyteris donando

stipendio sermonem esse contendo, quia dicta, quae ad confirmandam legem allegantur aperte praemium non honore sed pecunia solvendum commonstrant. Negari igitur non potest, in I. Tim. inveniri aliqua serioris temporis signa, quum de munere presbyterorum loquatur, quae signa etiam sequenti disquisitione augebuntur, dum ceterae epistolae pastorales talium signorum expertes se praebent.

b. De diaconis et diaconissis.

In diaconorum descriptione unus tantum locus I. Tim. III, 13 dubitationis ansam Schleiermachero et Baurio dedit, quum ibi legatur: *βαθμὸν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιοῦνται*, quod quidem referri potest ad gradum magistratuum ecclesiasticorum et ab iis relatum est; sed propter sequentia *καὶ πολλὴν παῤῥησίαν ἐν πίστει* melius de majore beatitudinis gradu intelligitur et hac de causa ad constitutionem ecclesiae non spectat. Longe autem plura descriptio diaconissarum praebuit. Schleiermacher enim in loco I. Tim. V, 3 — 16, rejecta vetere interpretatione, qua *τιμᾶν* de cura pauperum seu de *θεραπείᾳ ἐκκλησιαστικῇ*, *ὄντως χήρα* autem de vidua prorsus egenti intelligatur, *τιμᾶν* idem esse atque honore affici et *ὄντως χήρα* viduam honore dignam esse dicit; hanc autem viduam secundum duas viduarum proprietates describi, v. 3 — 15 secundum vitae odium adjectis simul de junioribus viduis praeceptis, v. 16 secundum egestatem. Hoc tantum modo omnia recte intelligi, nam si verbum *καταλέγεσθαι* per in numerum pauperum referri explicaretur, prorsus non quadraret descriptio viduarum, quae magis divites quam egentes viderentur, et luxuriantem viduam (v. 6.) non recte egenti, sed honorabili opponi, maxime si versus antecedens conferatur. Has igitur viduas honore dignas ad odium vitae negotiis pellendum, diaconissarum ordini esse accensendas; quum autem perpetuo viduas se fore promittere debeant non ante annum sexagesimum esse recipiendas, minores contra natu viduas ab hoc ordine esse arcendas, quum propter cupiditates facile voto et promisso infideles fieri possint (v. 10). Scriptorem I. Tim. igitur describere institutum diaconissarum eum in modum, ut tantum majores natu viduae, quae perpetuo viduas se mansuras esse promiserint, in ordinem diaconissarum recipiantur, quumque hanc rem uno termino technico *καταλέγεσθαι* significet, necesse esse hic mos in ecclesia diu notus receptusque fuerit. Ad confirmandam hanc verbi *καταλέγεσθαι* notionem affert Schleiermacher locos Sozom. VII, 16., Cod. Theod. XVI tit. II, 27, praecipue autem Basil. ep. can. 24 *χήραν τὴν καταλεγεῖσαν εἰς τὸν ἀριθμὸν τῶν χηρῶν, τοῦτ'*

ἐστιν τὴν διακονουμένην, ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας ἔκρινεν Ἀπόστολος γαμουμένης παρορᾶσθαι et quia hunc morem a Pauli ratione plane esse alienum contendit, hanc descriptionem ut certum serioris temporis signum proponit. — Baur alio modo ex illo loco serioris temporis signum efficit. Ductus enim opinione, I. Tim. in sententia de feminis plane cum recognitionibus Clementis consentire, quae matrimonium maxime necessarium ad coercenda mulierum vitia esse contendant, in loco V, 3 — 16 verba ὄντως χήρα de feminis, quae viris orbatae ergo verae viduae sint, contra νεώτερα χήρα non de juniore vidua, sed de vidua ecclesiastica, sive de παρθένῳ τῇ λεγομένῃ χήρα interpretatur, et tales virgines, quae diaconissarum partes perpetuo caelibes explere velint, in matrimonium ad vitanda vitia, duci jubere nostram epistolam putat. Tales virgines, quae virgines ecclesiasticae nominatae sint, quum secundo demum saeculo exstiterint (Tertul. de veland. virg. 13; Ignat. epist. 9) nostras epistolas necessario eo demum tempore scriptas esse.

Contra hanc Baurii sententiam primum pugnat, quod in toto loco V, 3 — 16 verbum χήρα semper proprio, nunquam tropico sensu usurpatur, deinde autem, quod Ignatius non simpliciter χήρας illas virgines nominat, sed τὰς λεγομένας adjecit, denique quod Tertullianus nobis tradidit, has virgines perraras fuisse, ut ipse talem virginem viduam monstrum in ecclesia vocaret, atque ex his rationibus falsa mihi esse videtur, quum praeterea e falsa, quam Baur de origine epistolarum concepit opinione oriunda sit. Ad Schleiermacheri autem sententiam rite dijudicandam aliqua esse praemittenda videntur. Act. XXI, 8 fit mentio Philippi, qui primum unus e septem diaconis fuit ab ecclesia Hierosolymitana electis Act. VI. postea vero evangelistae munere Caesareae functus est. Nescimus quidem, quae negotia magistratibus singulis ecclesiae primaevae imposita fuerint, attamen hoc indubium est, munus diaconi et munus evangelistae non unum fuisse idemque, quum alter curae pauperum aegrotorum praeesset, alter christianos Jesu historiam docere saepe narrando deberet. Inde autem sequitur, non fuisse legem in ecclesia quae diaconos semper in munere perstare juberet, et quum diaconis licitum sit, aliud munus suscipere eoque fungi, nulla ratio inveniri potest, cur diaconissis lex imposita sit, ut semper permaneant in officio. Lex igitur, quae diaconissas jubet usque ad mortem in officio permanere, et hunc in finem eas iterum nubere vetat, a constitutione ecclesiae ut ex Actis nobis innotuit, abhorrere videtur, ideoque maxime dubium est, num Paulo haec lex adscribi possit, praesertim quum reputemus Philippum illum eodem tempore, quo epistola, si Pauli est, scribenda fuit, evangelistam fuisse postquam prius diaconus fuerat, atque etiam alias causas adesse, quae

Paulo hanc adscribere legem propemodum vetent. Nam si consideramus, quomodo Paulus egerit in fundandis et constituendis ecclesiis, sine dubio concedendum erit, eum uniuscujusque vires et facultates libenter accepisse quin etiam excitasse, qui ecclesiae servire volebat, seduloque cavisse, ne quem ab hoc munere excluderet. Hac vero ratione commovendus erat, ne aditum ad ordinem diaconissarum, ecclesiae sane utilissimum verumque ejus decus, difficiliorem faceret. Difficiliorem autem aditum ad ordinem diaconissarum hac lege fieri et numerum earum, ex quo eligendae fuerint, arctius circumscribi, statim apparet, quum praescribat, ut diaconissae sint sexagenariae, beneficae erga pauperes, unius tantum viri uxores, hospitales, clarae bonis operibus, et quum feminae, quae haec omnia officia praestiterint, non nisi raro et tantum inter divites inveniri potuerint. Multas vero feminas aut pauperes aut juniores, quae in reliquis fortasse aptissimae essent ad officia diaconissarum, ab aditu in hunc ordinem prohibendas fuisse, facile intelligitur, et hac de causa sane dubitandum est, num Paulus hanc legem tulerit. Accedit etiam, quod non solum, hac lege constituta, nimium paucae feminae muneris diaconissarum participes fieri potuerint, sed etiam non aptissimae ad id munus suscipiendum ejusque labores sine dubio saepe permagnos tolerandos. Nam in universum quidem certum est, pauperes junioresque feminas ad curandos aegrotos et aptiores et paratiores esse quam divites, vita ipsa minus ad labores et lucubrationes assuefactas, atque vix credi potest, amore summo fratrum, quo sine dubio primi christiani flagraverunt, hoc discrimen inter pauperes divitesque prorsus esse sublatum et deletum. Itaque Paulus non solum multas, sed etiam aptissimas a munere diaconissarum prohibuisset, et hoc et libertati ecclesiae apostolicae et sapientiae et studio apostoli, quo omnes in usum ecclesiae adhibere voluit, repugnaret, atque his de causis ei non attribuenda est lex, quae tum demum orta esse videtur, ubi plures, quam opus fuit, in ordinem diaconissarum recipi voluerunt ideoque necesse fuit, hunc nimium ardorem reprimi aditu ad ordinem difficiliore facto. Hoc autem Paulo vivente, ecclesia ephesia vix orta constitutaque evenisse, minime credibile est, at facile fieri potuit, quum in majus aucta ecclesia, ordoque diaconissarum rite constitutus, et munus diaconissarum minus jam inauditum esset, atque ex omnibus his causis plures, quam opus fuit, in eum recipi vellent. Rejecta igitur Baurii sententia nihilominus assentiendum Schleiermachero videtur esse, et hanc legem non Pauli sed seriore tempore ortam esse putandam, ex quo sequitur, priorem ad Timotheum epistolam non Pauli esse.

c. De disciplina.

De hac re locus spinosus I. Tim. I, 20 Schleiermacheri suspicionem movit. Ingentem enim levitatem, qua hic excommunicatio Hymenaei et Alexandri pronunciari videtur, quum compararet cum horrenda illa gravitate, qua Paulus in re simili contra illum Corinthium egit (I. Cor. V, 3 sqq.), aliquatenus ei a Pauli et ecclesiae apostolicae more recedere illa visa est. Baur autem odium haereticorum, quo postea orthodoxa ecclesia flagraverit, et in vituperiis contumeliosis (I. Tim. IV, 2) istis illatis, et in praecepto Tito dato (III, 6) ut post unam alteramque monitionem haereticum hominem dimitteret, satis superque videri, atque praeceptum I. Tim. V, 22, ne quis citius impositis manibus in ecclesiam reciperetur, aperte in lapsos posterioris temporis haereticosque latum, ostendere quo tempore scriptae sint epistolae contendit.

Schleiermacheri objectio tum tantum recta rataque esset, si pro certo constaret, verbis illis οὓς παρέδωκα τῷ σατανᾷ pronunciari excommunicationem, quod si esset, prorsus a Pauli more in tanta re agendi abhorreret; sed quum potius mentio sit rei Timotheo jam notae, ex animo certe scriptoris I. Tim., illa gravitas, quam in I. Cor. reperimus, non fuit necessaria. Itaque ab hoc crimine liberandam esse epistolam censeo sicut etiam a Baurii objectionibus. Nam falsos doctores tam acerbe notatos et vituperatos etiam epistolis vere paulinis invenimus, quamvis in nostra descriptio paulo exaggeratior sit, et multo certe acrius Paulus in falsos Galatarum doctores, quos etiam devovit, invectus est, quam egisse videtur praecepto Tito dato, quod Baur immerito vituperavit et in suspicionem vocavit. Sed in ultimo, quod ille attulit, paulo alium morem aliumque agendi modum videre licet, quam quo usa est ecclesia apostolica; hanc enim baptismatis retardationem, quae I. Tim. V, 22 jubetur aut certe suadetur, ibi non reperimus, quo simul declaro, me Baurii relationem ad lapsos et haereticos, quam praecepto tribuit, me non posse approbare, quippe quae ut multae aliae opiniones, quas refutare studui, ex falsa sententia illius de origine epistolarum oriunda sit.

d. De ritibus.

Unum ritum, qui in nostra epistola aliter narratur, atque in ceteris N. T. scriptis et maxime in II. Tim. supra commemoravi, quum de presbyteris verba facerem, qui I. Tim. IV, 14 una cum Paulo Timotheo manus imposuisse et charisma impertivisse dicuntur, II. Tim. I, 6 autem Paulus solus haec fecisse dicit. Hanc diversitatem et contradictionem non levem esse causam dubitationis de I. Tim. authentia l. l. simul dixi.

Plures ritus diversos in nostris epistolis commemorari nemo quantum scio contendit, praeter quod de symbolo et confessione paulo diversa tradere dicuntur. Nam Schleiermacher et Baur locis I. Tim. III, 16 et VI, 12 vestigia confessionis accuratius jam definitae et constitutae reperisse sibi videntur; aevo apostolico nude in Jesum Christum se credere baptizandos confessos esse, hic autem jam plura de Christi vita et natura addi, quae in majus aucta symbolum, quod dicatur apostolicum exhibeat; eodem modo de Deo multa exponi, quis et qualis putandus sit. Quod de Jesu Christi mirabili natura accuratius fusiusque disseritur in nostra epistola, per se quidem nihil habet offendiculi, quum etiam Paulus ipse in ep. ad Philp. II, 5 sqq. de hac re etiam plura verba fecerit. Sed ibi sine dubio non nisi comparationis causa praeclarum Jesu exemplum fusius exposuit Paulus, in nostra epistola vero illa expositio de Christi persona et natura quasi ut fidei regula et norma agendi in ecclesia proponitur, et hac de causa speciem certe prae se fert, quasi velit fidem in Christum accuratius quam antea definire et errores in hac re refutare, qui fortasse in ecclesia visi fuerint, maxime si simplicissimam confessionem, quam apostolus Philippus Act. VIII. exigit, cum hac comparamus. Ac si conjecturas proponere licet, mihi haud prorsus a veritate abhorrere videtur, scriptorem I. Tim. voluisse hac expositione veram fidem christianam defendere ab erroribus Gnosticorum, quorum principia seminaque tunc certe jam adfuerunt maxime Ephesi, urbe tum florente divitiis et literarum studiis notitiaque philosophicarum opinionum, ex quibus Gnosticorum systemata postea constructa sunt. Nam quum affirmat, Jesum et in terra et in coelo, et a Deo, ab angelis, et ab hominibus cognitum et celebratum esse, recte gnosticis erroribus, qui Jesum tantum coelestem agnoscere vellent eumque vere in terra ut Dei filium humano corpore indutum versatum esse negarent, veritatem historicam opposuit, et statim ab initio illas opiniones erroneas opprimere studuit, quae postea tot discordias in ecclesia moverunt. Hac vero sententia, scriptorem I. Tim. contra Gnosticos pugnasse, non contendo, illa mira systemata serioris temporis jam tum fuisse plane exculta compositaque, sed hoc tamen dico, incrementa et semina eorum tum adfuisse et fortasse aliquorum christianorum fidem perturbare coepisse, quod nisi concedimus, difficillimum erit explicatu, unde tandem systemata, quae medio secundo saecula plane exculta sunt, tam subito exstiterint et vulgata sint. Simili modo scriptorem in secundo loco VI, 12 sqq. doctrinam de Deo accuratius exponere videtur et hic maxime pugnare contra opiniones Christianorum, qui quum ethnici antea fuerunt, non satis spiritualem Deum cogitarunt, sed ideam Dei christianam erroribus ethnicis, quibus assueti erant, commiscuerunt et commacularunt.

In universum igitur ex disquisitione antecedente efficitur, scriptorem I. Tim. fidem christianam ab erroribus quibusdam defendere studuisse et hoc modo confessionem ecclesiae accuratius exposuisse et definiisse, quod sine dubio serioris temporis est signum. Quare in fine opusculi cum Baurio consentire possum videri, cujus tamen sententias per totum opusculum refutare summopere studui; sed disertis verbis dixi et iterum dico, me putare, scriptorem I. Tim. non nisi contra semina et primordia opinionum gnosticarum pugnavisse, et quo clarius etiam appareat, me multo prius quam Baurium scriptam epistolam arbitrari, breviter adjicio, ex loco I. Tim. V, 18 non necessario concludi posse, illam sententiam Christi Luc. X, 7 ex scripto jam evangelio afferri, et pessime fundatam planeque miram Baurii sententiam esse, secundam quam contendit, locum I. Tim. III, 16 ex tribus gnosticis et tribus antignosticis definitionibus esse compositum seu, si malueris, confusum.

Sic etiam ex secundi capitis disquisitionibus apparet, si ex iis nunc pro viribus pertractatis summam efficimus, priorem ad Timotheum epistolam plurimis implicatam esse difficultatibus et dubitationibus, contra epistolam ad Titum et II. ad Tim. facile ab criminibus et opprobriis purgari. Nunc mihi restat, ut omnes difficultates et dubitationes, quae I. Tim. premant, in unum colligam atque ex iis si fieri poterit originem epistolae explicem, quo in opere plus quam alias mihi opus est humanitate et indulgentia eorum, qui haec mea legent, quum defectu omnium certarum historiae traditionum nihil nisi meas conjecturas fortasse male fundatas, proponere possim. Ex disquisitionibus primi capitis efficitur, I. Tim. in Pauli vita non habere locum, si fidem historicam Actorum inconcussam relinquere volumus, atque nexum sententiarum, finem, quo scripta esse velit, denique argumentum non ita perspicue esse exposita, quam in aliis Pauli epistolis, ut etiam magna moveatur suspicio, epistolam ex duabus reliquis epistolis pastoralibus esse compilatam. Ex disquisitionibus autem secundi capitis efficitur, epistolam presbyteris, diaconis et diaconissis secundas nuptias interdicere, statuere bonis presbyteris stipendium, facere difficiliorem aditum ad ordinem diaconissarum, ne plures in eum recipiantur, praescribere, ut cautius in recipiendis et baptizandis christianis agatur, denique accuratius definita confessione nascentes errores reprimere studere. Quae quum omnia quoad ad statum ecclesiae spectant, considerentur, facile intelligitur, ecclesiam jam valde auctam esse et turbari coeptam et erroribus haereticorum nascentibus et vitiis recenter receptorum, quum multitudine christianorum increscente etiam mali in ecclesiam facile intrare possent (II. Tim. II, 20). Aucta autem ecclesia et officia laboresque presbyterorum aucti sunt, itaque ma-

jor eorum erat dignitas auctoritasque, ut jam homines reperirentur, qui eam ambirent, et quum negotiis docendi, commonendi et regendi impedirentur, quominus victum sibi ipsi compararent, necesse fuit eos donari stipendio, ut vivere possent; porro major honor dignitasque, quo fruebantur, simul iis imperavit, ut majore honore et dignitate, dignos se praeberent; quum autem tunc pro maximo documento sanctitatis haberetur, si quis secundis nuptiis abstinebat, necessario presbyteri sicut omnes ecclesiae magistratus hoc sanctitatis documento ornare se debuerunt. Auctam ecclesiae multitudinem coeptumque formari clerum etiam indicat lex quae diaconissis lata est, ut supra jam monui, et praecepta de recipiendis in ecclesiam eorumque fide confessione probanda. Si talis quando erat conditio et status ecclesiae ephesiae et aliarum — et talem fuisse in fine primi saeculi propter celerrime et incredibile in Asia auctam Christianorum multitudinem, quam Plinius in celeberrima ad Trajanum data epistola testatur, prorsus verisimile est — si autem omnes hi mores, leges et instituta postulabantur magis et necessaria putabantur, quam consuetudine et legibus constituta et sancita erant, facillime aliquis Pauli discipulus aut alius commoveri potuit, ut haec desideria ecclesiae explere et eo modo firmare ecclesiam meliusque constituere cuperet et conaretur. Hoc autem nullo modo facilius assequi potuit, quam ut epistolam Pauli nomine inscriptam ederet, in qua omnia quae tum ecclesiae conditio et persuasio ut necessaria postulabat, ut praecepta et praescripta apostoli ipsius continerentur; hujus enim auctoritate omnes statim adduci potuerunt, ut facerent, quae apostolus ipse mandasse et quae ecclesiae maxime utilia et necessaria esse videbantur, atque ad hoc perficiendum nihil amplius faciendum erat, quam ut pia fraus adhiberetur, eo tempore satis usitata et pro licita habita et hic optimo certe consilio et mente perpetrata. His igitur rationibus ductus scriptor I. Tim., qui fortasse etiam cum Paulo Timotheoque amicitia junctus fuisse poterat, nostram epistolam composuit editque, ut ecclesiam ad ea, quae tum necessaria videbantur assequenda adjuvaret et vitia, quae fortasse commissa erant, animadverteret corrigeretque. Sed quo magis et quo fidelius apostoli vestigia sequeretur, reliquas epistolas pastorales et maxime ad Titum sibi imitandam proposuit et quae ibi exposita erant etiam in sua pertractavit suisque, ubi necesse esse videbatur, additamentis auxit et hisce sua praecepta intermiscuit. Si tali modo ortam epistolam esse putamus, facile, ut mihi quidem videtur, omnia explicabuntur, quibus viri docti offenst sunt. Nam quum auctor epistolae vitam moresque Pauli et Timothei seu amicitia seu traditione novisset, satis feliciter, ut supra monstratum est, tempus elegit, quo epistola scripta esse putanda esset et satis feliciter in

epistola ipsa amicitiam eorum descripsit, at non potuit, quin multis locis nexum sententiarum negligeret et varia diversaque brevi spatio exponeret, neque eo ordine ageret, quo Paulus in epistolis, quum nullam primariam epistolae sententiam haberet, sed eo consilio scriberet, ut omnia quamvis varia, quae ecclesia necessaria viderentur, complecteretur et praeciperet. Hinc facile explicatur compositio et natura epistolae (quam rem egregie tractavit Schleiermacher sämmtl. Schriften II. 275—280.), quae et familiaris epistola esse et multa monere et docere vult, quod Schleiermacher praecipue contra paulinam ejus originem premit; nam auctor partim voluit epistolae dare speciem, quasi Paulus amicissimo Timotheo eam scripsisset, partim docere, monere et praescribere, quae ecclesiae utilia et necessaria essent, ut sua praecepta Pauli ipsius esse viderentur; hoc vero duplici consilio necesse fuit, epistolam nec indolem epistolae prorsus familiaris, nec eam docentis et hortantis sed quasi mixtam assumere, et facillime fieri potuit ut auctor sua et Pauli tempora et ita praesentes futurosque falsos doctores permisceret. Studio denique auctoris permagno, ut instituta, quae ei necessaria videbantur, quam maxime commendaret et vitia quae animadvertit vituperaret, facile accidere potuit, ut nonnullis locis sententias et praecepta ediceret, quae a paulinis aliquatenus recederent, qualia supra monita sunt, praesertim quum hoc studio incensus etiam Pauli dicta falso intelligere et ad sui temporis mores et necessitatesque detorquere propensus esset. Sic ex ea ratione qua nos ortam epistolam esse putamus, et compositio et indoles et aberrationes a Pauli dicendi et docendi genere explicari posse sine difficultate videntur. Simul autem ex ea sententia facile colligitur, quid de epistolae auctoritate, ut partis scripturae sacrae censeamus. Quum enim orta sit proxime aevo apostolico tam bono et laudabili animo consilioque necessitatum ecclesiae levandarum, quum tanto studio scripta sit apostoli in omnibus fideliter imitandi, quum denique tot praeclare et vere dicta praeceptaque contineat, nullo modo, ut fortasse quidam voluerint, e scriptura sacra ejicienda est et quasi ficta et supposita contemnenda; verum si quibus hac commentatione aut aliis operibus longe praestantioribus persuadebitur, illam non Pauli esse, sed ea quam exposuimus ratione ortam, tum ii optimo jure ut adhuc ejus auctoritate uti ejusque effata ut scripturae sacrae dicta proponere poterunt, si modo antea examinaverint haec dicta et praecepta epistolae consentire cum aliis in scriptura sacra obviis iisque niti et affirmari. Ac si forte qui erunt, qui me vituperare velint, quod et ego paulina nostrae epistolae origine rejecta auctoritatem scripturae sacrae tantopere jam quassatam aggressus sim, hos oro etiam atque etiam, ut reputent, me non temere hanc sententiam de origine

epistolae tulisse, sed coactum rationibus, quas exposui, et ecclesiae certo non prodesse, si qua epistola falso Paulo adscripta, ei semper adscribatur indeque semper denuo dubitationes oriantur turbentque hominum animos. Sed quo firmius auctoritatem scripturae sacrae, ut fontis divinae a Christo praedicatae veritatis tenemus et quo fortius eam ab omni hostili et maligno impetu defendimus, eo accuratius quaerendum est, num quae pro veris defendimus et sustinemus, prorsus vera sint numque in defendendis illis sincero veritatis amore, an caeca falsarum opinionum perseverantia agitemur. Nam nihil nisi veritas, diligenter quaesita et perspicue proposita vincit tandem et pugnantes rursus caritate conjungit, atque hanc veritatem in hoc opusculo me insecutum esse, sum mihi conscius, an vero assecutus eam sim aliis ut par est dijudicare relinquam.